Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

KK. Poes: N°. 1648.
KW
~~Elzevier~~ 235
~~A 160~~ D 21
1-2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

THEOPHILI HOGERSII

POEMATA JUVENILIA.

Accedunt

JOHANNIS HOGERSII

POSTHUMA,

Et

P. D. HUETII V. CL.

Funus Cl. Salmaſii & Iter Suecicum.



Koninklijke Bibliotheek te 's Hage

AMSTELODAMI,
Apud DANIELEM ELSEVIRIUM,
cIↃ IↃC LXXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

NOBILISSIMO ET MULTIFARIÆ ERUDITIONIS CUMULATISSIMO VIRO

NICOLAO HEINSIO DAN. FIL.

OBITIS IN SUECIAM LEGATIONIBUS ILLUSTRI,

OMNIS ANTIQUITATIS, SED IN PRIMIS POETICÆ, RESTITUTORI UNICO,

POETARUM DENIQUE QUOTQUOT HODIE VIVUNT SINE EXCEPTIONE PRINCIPI,

JUVENILES SUAS MUSAS LUBENS MERITOQUE CONSECRAT

THEOPHILUS HOGERSIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

THEOPHILI HOGERSII POEMATA JUVENILIA.

NUPTIÆ SECUNDÆ

JOH. FRED. GRONOVII

Viri maximi,

Cum

CATHARINA GLAGOVIA.

INcipe Gronovias Erato mea pangere tædas,
Quidnam ſacra virum commoverit altera magnum
Appetere, atque novos quæ cauſa attraxerit ignes.
Sit mihi fas majora loqui, fas prodere cantu,
Quo nuper fuerit motu concuſſus Olympus,
Aſpera dum Veneris ſævit cum Pallade rixa.
Illa ſuis totum mitti ſub legibus orbem
Certabat, flammasque ſuas, natique ſagittam
Nulli parcentes geminum volitare per axem.
Hæc ſua & Aonidum felicia caſtra ſequentes
Immunes legum Veneris lectique jugalis
Poſtulat, & doctis modo vult ſervire Deabus.
Ambæ pollebant fautoribus, aſtra regentis
Ambæ progenies multum dilecta parenti.
Sed quum cælicolûm videt increbreſcere murmur,
Et magis atque magis flammari Juppiter iras,
Concilium vocat, & partes defendere cauſam
Ordine legitimo jubet, & deſiſtere pugnâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Ut ſedere Dii, fandique potentia facta eſt,
Caſta Minerva prior ſic incipit: Optime mundi
Princeps, atque hominum Divûmque æterna potestas,
Diique Deæque omnes qui regia tecta tenetis,
Quàm latè dominetur Amor, ſævoque ſuperbus
Temperet ut terras, noſtis, mare, ſydera cornu.
Omne quod æthereas animatum ſurgit in oras,
Et quos occumbens, & quos Sol adſpicit ortus,
Imperio premit & duris dat colla catenis.
Aſt ego, quam cæli fudit de vertice rector,
Nec Paphiâ virtute minor, nec gentis honore,
Vix umbram imperii tueor, vel nomina regni.
Quumque peruſtus Arabs & Sarmata pareat illi,
At mihi de multis populorum millibus unus
Vix dignis ſolas conſpergat honoribus aras,
Relliquias tamen illa meas, de matre cadentes
Quas ſummis fovi curis (ô improba vota!)
E gremio rapit, & fædo ſubmittit Amori.
Improbus ille puer, quo non crudelior alter,
(Proh pudor!) illuſtres animas, quæ carcere iniquo
Corporis exutæ, durâ campage revulſâ,
Aut cælum ſublime petunt, ſuperûmque receſſus,
Et medios inter divos atque aſtra vagantur,
Docta aut Cecropiæ recolunt ſecreta ſenectæ,
Atque Cleantheis, vel quas Academia finxit
Artibus, & pulchris ſeſe virtutibus implent,
Arcibus è celſis in priſtina dejicit antra,
Luxuriæque vacare jubet Venerique nefandæ;
Ac mentes curis onerans ſervilibus altas
Divitiis ſuadet vilique ſtudere lucello;
Quodque iſtis fœdum multo magis æſtimo cunctis,
Injuſtæ cogit ſævæque ſubeſſe maritæ.
Quis niſi dura ſilex ſit vel Marpeſia cautes,
Temperet à lachrymis, quum Socratis aſpicit ora,
Omnes

Omnes terrigenas cujus ſapientia vicit,
Qui ductos habuit mores rutilante metallo,
Uxoris manibus fœdè lacerata furentis?
Sed quid priſcorum repeto tormenta virorum?
Nonne mihi nuper ſummè dilectus alumnus,
Cui ſoli dederam interius cognoſcere Muſas,
Cunctiſque abſtruſæ reſerare ænigmata chartæ,
Vertice qui ſummum celſo tangebat Olympum,
REGUM ÆQUABAT OPES ANIMIS, fera corda ſuperbæ
Submiſit dominæ infelix, & fræna momordit?
Ah! quæ probra pati, me contemplante, coactus?
Conjugis ex nutu quoties mens dia pependit,
Et doctam quoties direxit fæmina pennam?
Adſpicite hæc Divi, atque animis advertite veſtris.
Nec ſinite ulterius funeſtam ſerpere peſtem,
Quæ dabit exitio quicquid mihi reſtat egenti.
Quàm ſint exigui, audiſtis, pectora finxit
Queîs meliore luto Titan, quam rara caterva.
Hos ſervate, precor; reliquum ſibi mancipet orbem
Cæcus Amor, cæcoque domet, date, carcere cæcos.
Talibus oranti dictis ſuperosque roganti
Sic contrà eſt ingreſſa Venus: Certamina prima
Non hæc ſunt, ſuperi, nati quibus arma tuemur,
Omne ævum ferro teritur, galeâque pudendâ
Canitiem premimus, rixisque ſeneſcimus iſtis.
Nunc eadem Pallas, nunc pugnax Cynthia tentat,
Quotque alii in noſtram conjuravere ruinam.
Omnibus idem animus ſacris illudere ſceptris,
Rumpere divinos arcus, extinguere tædas.
Nec tibi, diva ſoror, ſatis eſt pulchræve Dianæ
Virginitate frui, & noſtras contemnere leges,
Si non quæque omnes, diro conamine, gentes
Concitet, & toto nos quærat pellere mundo.
Nec noſtris ſaltem rebus natique timemus

Imperio (longe minima eſt injuria Amoris)
Sed ne, dum noſtros fugiunt ceu crimina lectos,
Urbes nudentur populis, pia rura colonis,
Et deſolatæ reddantur tempora Pyrrhæ.
Quis tum templa ſtruet grato redolentia thure,
Mactabitque boves, ariſque imponet honorem?
Scilicet in vacuo, ſuperi, dominabimur orbe;
Et tua tela, pater, manibus fabricata Cyclopum
Immotas ferient, vano molimine, terras.
Ipſa mali partem tanti ſenſura Minerva
Non parvam, ingenuas dum quas denominat
artes,
Deſerto & doctis nudo cultoribus orbe,
Montibus & ſylvis ſtudio jactabit inani.
At muſis inimica Venus, quæ trudit in imas
Speluncas animos cæli in ſtatione locatos.
Quid referam, quoties indoctos inſtruat arte
Doctus amor? quoties diſſolvat vincula linguæ,
Monſtret & Aoniis intendere carmina nervis,
Accendens ſacros ſacro velut igne furores?
Sic quum vere novo ſe floribus induit arbos,
Inque feras dominatur amor gentemque volan-
tum,
Adſpice, quam ſuavi turbentur murmure campi,
Et paſſim reſonent avibus virgulta canoris.
Pro ſe quæque ſuas exercens garrula linguas
De pulchrâ volucris palmâ certare videtur.
Sed longe reliquis excellit Daulias ales,
Divino totos implens modulamine lucos,
Et tanta Muſæ pecudes dulcedine captæ
Herbarum immemores arrectis auribus adſtant,
Ingentemque ſtupent anguſto in pectore vocem.
Utque illi tantum Venerem inſtillaſſe vigorem
Credas, majori, tenebroſis condita ſylvis,
Anni parte ſilet; nec doctis cantibus ante
Ora movere ſolet, quam viſcera concita flammis
Intu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Intumuêre meis, & amor ſub pectore ſævit.
Quid vero utilius docto, quam ducere vitæ
Et caſti ſociam thalami, ſociamque laborum,
Inque ſinum cujus cunctas effundere poſſit
Quæ cruciant imo fixæ ſub pectore curas?
Talis facundi laudatur Porcia Bruti,
Quæque ſophi preſſit Romani fida cubile.
Talis magnanimi ſapiens Cornelia Gracchi,
Et quæ tergeminis celebrata es Marcia tædis,
Sive fori regem ſociaret munus amici,
Seu Cato dimiſſam rurſus poſt fata mariti
Duceret, atque tuam ſic ferret ad æthera famam.
His certis animi ſociis ſecreta mariti
Credebant. dubiis, quas fors objecerat, illæ
Conſilium rebus, rebus ſolamen in arctis.
Ipſi omni interea curâque æſtuque remoti,
Pieridum vacuo peragrabant pectore colles,
Atque caballino ſaturi præcordia rivo
Deduxere tuas lætis mortalibus artes.
Invida ſin ſpernis, Pallas, bona fata tuorum,
Vel ſaltem numerum lateque patentia regna
Expetis (unde etenim rixæ tibi tanta cupido?)
Omnibus ingenitum, noſti, mortalibus alte
Impreſſas ſervare notas formamque parentum.
Sic oculos, ſic ora ferunt, crineſque manuſque,
Atque parem ſimili geſtant in pectore mentem.
Hinc mores germana trahit de ſemine proles,
Et tibi doctorum ſurgit numeroſa propago,
Dum patria inſequitur felix veſtigia natus,
Et cum lacte bibit Phœbei flumina ſaxi.
Ut taceam priſcos docto de ſtemmate doctos,
Si ſapiens nunquam thalamis prolique vacaſſet,
Et cælebs Cæſar tranſiſſet Julius ævum,
Nunquam illuſtraſſet divinus Scaliger orbem.
Quis recidiva daret Ptolomæi ſcita vetuſti?

Phyllida quis caneret, reginarumque triumphos?
Heinſi ni Voſſique patres, mea ſub juga miſſi
Mollia, digna ſuâ liquiſſent pignora gente.
Vos quoties vidi jactantes, adfore tempus,
Quo Fabri ſoboles doctrinæ repleat orbem
Laudibus, & cunctis exemplum præbeat ævis,
Quantum de docto conducat ſanguine naſci.
Ipſa vides, ſævâ dum nos uſque impetis irâ,
Ut propriis obſtes fortunis, utque tuorum
Totiusque orbis facias properare ruinam.
Tu vero, tu magne ſator Divûmque hominum-
que,
Qui mihi, qui nato ſceptrum ſine fine dediſti,
Et noſtro imperio, & labenti proſpice mundo.
Poſtquam conticuit, diverſis motibus actus
In partes totus varias diſcedit Olympus.
Huic Lucina & Hymen, denſum & favet agmen
Amorum,
Illi ſancta Themis, Phœbuſque, novemque ſo-
rores:
Resque videbatur magnum ſpectare tumultum,
Quum pater omnipotens ſolio ſic infit ab alto:
Stat certum mihi dicta ſemel non flectere fata,
Stat certum intactam Veneris ſervare coronam;
Vindictamque meam cunctis denuntio Divis,
Unquam qui fuerint auſi contendere contra,
Antiquumque chaos noſtris immittere terris.
Extemplò tacuêre omnes (quis juſſa Tonantis
Negligat?) & dicto citius pax reddita mundo.
Nec mora, compellat natum Cytherea potentem,
Feſtinaque, inquit, Jovis & decreta verendi
Exequere: at confige tuis, fidiſſime, nervis
Ante alios omnes, Batavis qui fulget in oris
Gronovium ingentem, fama ſuper aſtra loca-
tum,
Quemque ipſa inſigni Pallas Tritonia laude
Pandere

Pandere priſcorum docuit monumenta virorum.
Hunc primum tua tela petant, fac comprobet illa,
Fac cunctis ſummus doctis hoc ſuadeat auctor.
Ille alacer Batavum Lugduni tendit in agrum,
Artibus egregiis florentem atque ubere glebæ,
Pallados atque almæ Cereris certamen avitum.
O mihi grata diu ſedes aſtrisque propinquum
Hoſpitium. quis me de ſaxis divus Iberis,
Mens ubi priſcorum trepidat meminiſſe malorum,
Patria ab Heſperiis olim eſt quæ paſſa tyrannis,
Quanta vetus nusquam deſcripſit pagina, falſum
Quæ vicêre bovem, & ſævam Buſiridis aram;
Quis me execrandis rapiet de finibus, alte
Per nubes vectum? lætis quis ſiſtet in arvis,
Per quæ virgineus placido fluit agmine Rhenus,
Nec Nerei tumidis unquam committitur undis?
Mirantis cultumque loci culmenque domorum
Palladiæ inprimis traxerunt lumina moles;
Heic ubi mille calent tædis ardentibus aræ,
Mille Deæ famuli ſertis penetralia cingunt.
Gronovium eximio præſtabat honore ſacellum,
Tam juvenum numero, quam thuris odore Latini.
Ipſe haud indecori librorum pulvere turpis
Noctes atque dies priſcis vigilabat amicis.
Innumeri circum, quorum ſubtraxerat orco
Corpora, jam Stygiis dudum damnata tenebris:
Vulnera quin etiam præcellens arte Machaon
Sanarat multis, multis mutarat amictum,
Ornaratque comas fulvoque revinxerat auro.
Hîc in veſte nova fulgebat Livius ingens,
Quique ſuam docto pandit ſermone lucernam.
Statius, horrenti per plurima ſæcula fronte,
Nunc viridi floret redimitus tempora lauro.
Ambo illic Senecæ firmato corpore ſtabant;
Sed natum tractabat adhuc: ex parte polito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Compſerat & barbam & ſparſos ad tempora canos,
Atque togam puris ſapientem laverat undis;
Jamque parabat ei grandes aptare cothurnos,
Et Tragicam veſtem triſti circumdare limbo.
Illi pro tantâ virtute ſequentibus ævis
Patroni nomenque ſui laudeſque ſacrabant.
At parte ex aliâ multi, quos fœdus habebat
Morbus adhuc, ſciſſique comis & corpore toto,
Vulnera queis paſſim diſtortaque ruptaque membra,
Tum ſanie multâ fœdati & ſanguine crines,
Orabant medicas multis clamoribus artes,
Tendebantque manus oculoſque ſalutis amore.
Quantam non unquam vomuerunt atria turbam
Coi lata ſenis, priſcove habitata Galeno.
Attonitus monſtris, & multâ concitus irâ
Illum objurgat Amor: tune, ô doctiſſime rerum,
Inter pallentes conſumens tempora chartas,
Audebis noſtros iterum contemnere nervos?
Hoc habet, adjungit, figitque in pectore telum;
Et ſimul ad ſedes juſſit remeare priores,
Olim dilectam ſibi ſumpſerat unde maritam,
Atque novis illic medicamina quærere plagis.
Hoc fatale fuit nec detrectabile juſſum.
Hoc ego, præclari percuſſus amore magiſtri,
(Audax indigno fundens incondita verſu)
Cantabam, à Batavis longe diviſus Athenis,
Cantabros inter, cana nive ſquallidus horret
Mons ubi Pyrene, nubeſque cacumine pulſans
Gallica ab Hiſpanis diſterminat arva colonis.
Ingenium ſponſæ, mores, formamque decuſque,
Et quæ nobilibus debentur vota Hymenæis
Extulerint alii melius, quos patria doctis
Dives alit, noſtræ non tanta ſuperbia Muſæ.

BONA

BONA VERBA

In lætiſſimum atque feliciſſimum diem

GULIELMI TICHLERI,

Juris Romani Antiſtitis,

Optimis auſpiciis nuptiarum ſolennia celebrantis

CUM

EVA DURENIA.

Hoc habet, ô cives, conſumpta eſt fabula veſtra;
Dudum narratos hodie ſpectamus amores,
Tichleroque ſuo nubit Durenia virgo;
Tichlero, cujus tantum mihi creſcit in horas
Certus amor, quantum ſe tollit florida virtus
Ac doctrina viri, totumque expandit in orbem.
Quando erit ille dies, quo tantas carmine laudes
Dignas excelſo liceat celebrare cothurno?
Nunc illi Idalios quæ fax accenderit ignes
O Erato jucunda refer, ſed ſimplice cultu,
Detractis vatum phaleris, fucoque remoto.
Sat Veneri pueroque datum. juvat altius illis
Ferre gradum, & certas thalamorum diſcere cauſas;
Non è Parnaſſi ſaxis, aut fonte caballi,
(Quæ Clario lymphata Deo ſibi ſomnia fingit
Falſi turba tenax, nullius nuncia veri)
Sed de nativo divini flumine Verbi,
Quod pleni æterno cecinerunt numine vates.
Ille opifex rerum, mundi florentis origo,
Qui genus humanum ſummo complexus amore

Ante anni Soliſque vias: in cujus honorem
Hoc pulchrum conſtruxit opus, cui ſidera fecit,
Et vaſtam medio libravit in æthere terram,
Non his laſcivi pecoris de more vagando
Inceſtas paſſim Veneres permiſit inire.
Sed velut ipſe homini cæleſtem naribus auram
Infudit primo, diâ & ratione beavit,
Sic primas idem poſuit ſub pectore flammas,
Atque novam nuptam, quo nexus ſanctior eſſet,
Tradidit ipſe manu, junxitque in fœdera dextras:
Fœdera, quæ nullo violari tempore poſſint,
Quæ lachrymas matrum vincant, animoſque paternos.
Hic princeps orbis thalamus naſcentis, hic ortus
Conjugii auguſtus, cujus fuit auctor & auſpex
Ipſe parens mundi. valeant Cecropſque biformis,
Et quoſcunque alios vana ac incerta vetuſtas
Confinxit primos tædam inſtituiſſe jugalem.
Nec thalamos Evæ tantum Deus ipſe ſacravit,
Verum uno exemplo cunctos, ævoque ſequenti
Has ſtabiles fixit leges, ut fœdera juſti
Se fierent auctore tori, neu nectere vincla
Quis poſſet niſi ſponte ſuâ, nec ſolvere zonam.
Hinc eſt quod tanto terrarum diſſita tractu,
Relligione patrum diſcors, diverſaque cultu
Turba, movente Deo, thalamos ac fœdera jungat.
Quin nuſquam tuto conſiſtens pectus amantum
Igne ſacro accenſum currit per ſaxa per ignes,
Perque ſinus vaſti ſequitur ſua vota profundi.
Nec ſolus patriam linquens caroſque penates,
Tractus amore tuo, fluctus, Arethuſa, Sicanos
Permeat Alpheus, peregrinaque littora cernit.
Quodque magis mirum, flamma hæc cum tempore creſcit,
Nec perit effœto ſenio, duratque ſepulchrum.
O verè cæleſtis amor! cui parcit & ipſa,

Quæ

Quæ cuncta invadit rictu, Libitina, cruento.
Ne nimium jactes, Carum regina, marito
Quod fatis functo poſuiſti Mauſoleum:
Innumeræ majora tuo monumenta dolorum
Pectoribus ſtruxêre ſuis, lachrymiſque dicarunt.
Quid loquar ærumnas inſignes, atque malignos
(Quando flexiſſet vultum fortuna benignum)
Conſtanti pariter toleratos corde labores?
O quoties propria conſortem morte redemit
Conjugialis amor? quoties ſibi triſtia vincla
Tranſtulit in collum, collum ut relevaret amicum?
Nunc Pyladem ſileant, ſileant nunc Theſea faſti,
Gracchi vincit amor cunctos, cui facta poteſtas,
Conjugiine ſui vellet propriâne ruinâ
Oſtento indictam fatis perſolvere ſortem.
Non dubitavit enim (quis credere poſſit?) amori
Sacrificare ſuam nuptæque impendere vitam.
Nil eſt ex omni thalamorum denique parte,
Quod non vel digito cæleſtia numina monſtret
Præſentemque Deum, qui dirigat omnia nutu
Auſpiciisque ſuis, magnum queis temperat orbem.
Eſt idem Deus ille, Deus, clariſſime Sponſe,
Qui tibi, ne dubita, poſt tot ſine compare luces,
Tot viduas noctes tranſactas moribus æquam
Ingenioque tuo, ſpecie formâque priorem
Addixit thalamo ſponſam propriamque dicavit.
Nec minus ac olim rector tibi tradidit EVAM
Ætheris ipſe manu, ſanctam, ſimilemque priori,
Innocuæ ſed adhuc, fœdoque à crimine puræ,
Quando res hominum ſtabant, atque ipſa manebat
Numinis effigies: tunc illa innoxia vitæ,
Moribus integris mirâ & pietate nitebat,
Qualis Luna nitet, cum pleno lucida cornu

Diſcuſſis cælo nebulis ſpatiatur aperto;
Tunc ſecura mali ſedes habitabat amœnas,
Lætaque perpetui peragebat tempora veris.
Talia, dent ſuperi, decurrant aurea vobis
Sæcula, quæ fatis nunquam turbentur iniquis,
Quæ non externus graviorque domeſticus hoſtis
Exagitet, non ulla mali vis noxia lædat.
Sed velut aſſiduis agitantes otia feſtis
Inter mille jocos & gaudia ducite vitam:
Atque ita concordes hæc dulcia vincla fovete,
Veſter fidus amor toto ut cantatus in orbe
Romanos omnes vincat Graioſque maritos.

HYMENÆUS
JOHANNIS STROCHELII, V.CL.
ET
MARIÆ NILANDIÆ.

HUc ades Uraniæ divum genus, avia Cyrrhæ
Qui colis & fontes Pierioſque ſpecus.
Huc ades, & nobis genialia carmina conde,
Et pinum roſeâ concute rite comâ.
Strochelius tibi ſacra facit, lætare, tuorum
Flos juvenum, & patrii gloria prima ſoli.
Cum Mariâ, cujus pulchrum decus enitet ore,
Et ſancti mores, ingenuuſque pudor.
Cum Mariâ egregio Nilandi ſanguine cretâ
Albâ ave Strochelius vincla marita ſubit.
Par bene compoſitum, tua maxima numina teſtor,
Quoque nihil melius jungere poſſit Amor.
At vos, ô juvenes, Hymenæum, voſque puellæ
Inſtaurate alacres, admonet hora, novum.
Cer-

Cernitis ut rapidas ſummo nox humida cœlo
Præcipitet bigas, aſtraque feſſa cadant?
Indulgete choris, reſonet concentibus æther,
Atque pedum tellus pondere pulſa gemat.
Strochelio Nilanda datur, jam tempora currunt,
Exſpectata diu tempora, pacta diu.
Fallor an aſſurgunt juvenes caſtæque puellæ,
Ludicra & alterno carmine bella parant.
Sic certe, exſiluere ſimul, tacitiſque volutant
Nil vulgare animis; quod meditentur habent.
Incipite innuptæ; nam reſpondere parati
Vos ſpectant juvenes, & Deus ipſe vocat.

QUalis in Eurotæ ſuccreſcens margine myrtus,
Quam ſoles firmant, diſtinguens mille colores
Aura fovet, formoſa ſuis Nympha irrigat undis,
Defendens Boreæ teneros à frigore ramos;
Haud exculta minus fulget Nilandia virgo,
Et tantum æquales ſupereminet illa puellas,
Flammigeras quantum pleniſſima Luna cohortes.
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
Sicut in excelſo Libani ſtat vertice cedrus,
Quam neque tempeſtas, cælum quum cogit & imbres,
Nec ſoles rabidi, ſitiens quum Sirius ardet,
Læſerunt, ſed firma ſuis radicibus hærens
Pulſat odorato ſublime cacumine cœlum.
Strochelii haud aliter floreſcit nobile germen,
Atque inter juvenes caput exerit, ut bonus inter
Caſtor equis comites, aut ſævi fulminis infans.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
Felix, ô nimium felix Nilandia proles,
Quam celebri de ſtirpe venis? quis facta parentis
Efferat, & populo non uno nobile nomen
Dignè concelebret? toties quem publica ſedes
(Seu cauſas ageret juvenis facundia linguæ,
Solveret aut lites, legumque ænigmata juris
Juſtitiæque parens & lex animata ſecaret)
Orantem ſtupuit, toties laudavit agentem
Res populi, patriæque patrem, columenque Senatus.
A tanto ſed enim prognatam patre puellam
Moribus innumeris tenero formavit ab ungue
Haudquaquam inferior genitrix, animumque paternâ
Virtute imbutum pretioſis dotibus auxit.
Hos colere ante alias atque obſervare parentes
Enixe ſemper ſtuduit ſanctiſſima virgo,
Deliciæ matris, genitoris maxima cura.
Inde pudicitiæ pulchrum ſervare decorem,
Ædibus aſſidua in patriis, incognita vulgo:
Non ut turba ſolet cujus laſcivia famæ
Turpiter illudens juvenum venatur amores.
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
Strochelii non jactat avos animoſa propago,
Stemmata quantumvis numeret faceſque ſuorum,
Late ſplendeſcat licet inclyta gloria patris,
Glagoviumque ferat non paucis patria nomen
Plauſibus in cælos, natoque aſſignet honorem
Illum quem tanta geſſerunt laude parentes.
Egre-

Egregii juvenis conſtans & vivida virtus
Stat ſubnixa ſuis, aliorum haud indiga, fulcris:
Doctrina excellens, animus ſine crimine magnus,
Et ſanctum niveo candore notabile pectus:
Hæc ſua ſunt, hæc ſola ſibi bona propria ducit,
Illis cenſeri cupiens non laude parentum.
Ah valeant omnes, qui nil niſi magna crepantes
Nomina deſidie torpeſcunt, aut malè ſani
Inprimis dignum generoſo ſanguine credunt
Pervigiles Baccho ſocias traducere noctes,
Plebeium, in ſtudiis vigilare & rebus honeſtis,
Atque audere aliquid ceris ac ſtemmate dignum.
At quantò melius princeps exiſtere nomen
Obſcuri generis, primamque illi addere lucem,
Quam de clavigero gentem deducere Iano
Degenerem, & fœdam præclari nominis umbram.
Sed nos, ô comites, cantando ducimus horas,
Ecce novæ ſponſus conflagrat amore maritæ.
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.

Ergo ex intactis præſens nox auferet unam?
Improba nox, tenebræque graves, queîs dicere nobis
Triſte vale, mellita, paras, queîs linquere dulces
Æquales, quas nulla dies ſejunxerat ante,
Quasque magis propriis adamabas ſemper ocellis,
Et carâ caſtam ſociâ viduare catervam.
Haud mage ſollicitas fertur liquiſſe ſodales
Minoa Ægidem Minyamque Ææa ſecuta.
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.

Omnem

Omnem depellas animo nova nupta dolorem,
Eximie fido jungêris caſta marito,
Quique tuos tantum (ſociarum ſperne timores)
Ibit in amplexus, atque oſcula dulcia figet:
Ibit in amplexus, qualis gratiſſima Baccho
Feſtam hedera involvens hinc inde amplecti-
tur haſtam. (pus
At propera, jam ſponſe licet, jam carpere tem-
Præmia magna moræ per multa incommoda
tractæ,
Deliciisque novis duros penſare labores.
Gaudia te poſt quanta manent, noctéſque
beatæ, (ni?
Et jocus & ludus, dulcesque in amore cachin-
Quæ numerare volens citius numerabit arenas
Oceani, aut nitido radiantia ſydera cœlo.
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hy-
menæe.

EPITHALAMION
HENRICI WULLENII
Scholaſtocomii Cuſani, quod eſt Daventriæ, Rectoris
ET
CHRISTINÆ BERDENIÆ.

INcumbant alii thalamos ornare recentes
Pro ſe quiſque choris lætum Pæana canendo,
At mihi fert animus ſacrarum pandere cauſas
Tædarum. adſitis, rogo, dextro numine Muſæ.
Diva potens Cypri de more per æthera junctis
Adſcendens cygnis ad magni tecta tonantis:
Heic

Heic ubi terrarum fas eſt atque abdita ponti
Cernere. ſic teſtis Deus huic admittitur orbi.
Vecta levi curru ſupremâ ut conſtitit arce,
Ne genus humanum thalami juga ferre recuſans
Corruat & nitido cœcum chaos inferat orbi,
Proſpicit alma parens, dum cauſas nectit amorum.
Hîc juvenem ſi forte virum, quem caſtra ſubire
Muſarum Martiſve juvat: ſi forte puellam
Palladis aſſuetam calathis canibuſve Dianæ,
Cum ſit juſta toris, tædas odiſſe jugales,
Atque horrere ſuos cernit mage crimine lectos:
Protinus hos, tacitis incendens viſcera flammis,
Ferre ſuas leges & vincula cogit amoris.
Huic alte gemitus ducenti ob funus acerbum
Conjugis inſpirat mœſti ſolatia cordis
Indulgere novis thalamis: poſt fata mariti
Squalentis viduæ veteres exſuſcitat ignes.
Eſt urbs in Belgis invicto fœdere nexis,
Dives opum, ſtudiis felix atque ubere glebæ.
Fata Deûm (vulgus Fortunam dicier optat)
Huic nomen dederunt, quam multâ flavus arenâ
Prævehitur fluvius, Flevum dixêre priores,
Nunc Sala nomen habet Saliâ de gente celebris.
Sed fortuna fuit. luſtrantia lumina mundum
Huc Cytherea Venus de ſummo flectit Olympo,
Et mox Wullenium ſpoliatum compare cernit,
Dignâ inter matres & veſci longius aurâ,
Dotibus & raris, queîs prædita, magna tueri
Limina, & ingenue parvos educere gnatos.
Diriguit viſu in medio, ſtupor urget ocellos:
Ingemit orbatum dulci conſorte maritum,
Ingemit & ſobolem carâ genitrice carentem,
Et ſolas ædes: curarum fluctuat æſtu,
Huic quam ſubſtituat, rerum cui mandet habenas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Colligit ex geſtu genitricis vota Cupido,
Qui Matris lateri ſemper pharetratus adhæret.
Ridet Amor volucris, digitis & lumine ſignans
Chriſtinam, claro Berdenûm ſanguine cretam.
Hæc eſt, quam votis optas, quam lumine quæris,
En quæ ſuccedat rerumque capeſſat habenas.
Hæc tantum gnatus. genitrix applaudit ovanti,
Et complexa ſinu, mea, nate, potentia, dicit,
Ocyus è pharetra celeres deprome ſagittas:
Sume duas, in queis aurum ſub arundine fulget:
Præcipitato moras. volat hic velocior alis
Fulminis, & curvans adducto cornua nervo
Amborum hamata configit arundine corda.
I nunc & Paphium puerum dic lumine caſſum,
Dic tenera incertâ tranſmittere viſcera dextrâ.
Vix dum Luna ſuum reparaverat aurea cornu,
Et jam feſta ſuo dependent limine ſerta,
Jamque per albatos diſcurrit purpura muros,
Signa ſacrum veniſſe diem. celeberrima gaudet
Pars urbis, fauſtoque ſimul longa atria cantu
Perſonat: ô quali virgo dotare marito!
At tu ſparge nuces & victor cingere myrto
Sponſe, cui auſpiciis & munere ſponſa Deorum
Eſt data, quæ formâ, quæ ſanctis moribus, acri
Ingenio, & ſummâ ſuperat pietate puellas.

SPONSO ET SPONSÆ
FELICITER.

LUCTUS

LUCTUS

In exceſſum illuſtriſſimi Viri

RABODI HERMANNI DE SCHELE,

Iſelmudani Salaniæ agri Præſidis.

QUis ſubitus, mea Muſa, dolor fœdavit amictus?
Cur frons mœſta riget? turgent cur lumina fletu?
Non tibi Phœbeæ rident in vertice laurus,
Aut gratæ myrtus Veneri; velut ante ſolebant,
Cum thalamos felix caneres tituloſve tuorum:
Sed damnata rogis irrepſit taxus acerbis,
Squallentique comâ marcet funeſta cupreſſus.
Nec ſecus ac crudo dilecti funere nati
Conturbata furis, cælumque ululatibus implens
Diſcindis vultum, nudataque pectora pulſas.
Nunc ſævos tentas queſtus, & carmina fauſta
In leſſum vertens, vix ſingultantia verba
Diſcordeſque ſonos effers. ita vate perempto,
Qui ſtupidas dictus volucres animoſque ferarum
Ipſaque cantando Rhodopeïa ſaxa movere,
Quum citharam juxta caput à cervice revulſum
Sacrilegis manibus medio fluitaret in Hebro,
Amiſere fides diâ cum voce ſonorem,
Semianimeſque ſtrepunt, & non niſi murmere parvo
Stridentes fruſtra conantur flebile carmen.
Nunc veluti Mænas, quando Trieterica Bacchi
Exſtimulant, curris totam lymphata per urbem.
Rurſum victa jaces luctu, tumuloque recumbis
Herois magni, quiſquis fuit ille, peracti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Nocte dieque rigans lacrymis manantibus oſſa.
Sic miſerum attonitæ lugent Phaëtonta ſorores,
Quum laceros artus ſemiuſtaque fulmine membra
Externo ſpectant multum quæſita ſepulcro.
Sic morte indignâ cæſis ab Apolline natis
Tantalis incubuit, liventiaque unguibus ora
Atque ſinum guttis lanians implevit amaris.
Quæ vero, quæ tanta tui, dic, cauſa doloris?
Quis jacet extinctus tibi tam lacrymabilis heros?
Fallor, an adſpicio, (ſed vox & lingua tremiſcunt
Nec proferre valent titubantque in nomine tanto)
Adſpicio ingentem (gelidus pavor occupat artus)
Ah Schelium, Schelium crudeli funere raptum;
Ante diem Schelium vitæque in flore reſectum,
Dardanios ſuperare ſenes & Neſtora dignum.
Heu nimium vidi. triſtes, decet, ite Camœnæ,
(Non gravior vos cura unquam nec juſtior anxit)
Ite omnes, quondam felix chorus, atque cruentis
Ora, comas, pectus lacerate ac tundite palmis;
Queſtus eat cælo, ſuperos convicia tangant.
Phœbus enim veſter cecidit, tutela, ſaluſque
Et dux ipſe chori. fuit omnis gloria montis
Pierii, nemoriſque ſacro quod vertice crevit,
Præbuit & gratam nuper ſpatiantibus umbram,
Dum veſtræ laudes, Schelii dum vita manebat.
Invida ſed poſtquam vobis hunc fata tulerunt,
Formoſæ cecidere comæ, deperdidit omne
Silva decus, lætis areſcunt gramina campis,
Proque roſis violiſque & purpureis narciſſis
Carduus & ſterilis dominatur juncus in arvis.
Ipſe Meduſæus, quo nec mage limpidus alter
Nec largus fluxit ſacris de montibus amnis,
Labitur aut nullus, ſiccæque eſt campus arenæ,
Aut tantum fædos cœni devolvit acervos.

Con-

Continuate Deæ miſerum renovare dolorem,
(Sit mora nec requies) mœſtasque iterare querelas:
Ecce ſalutiferum vobis ſummeque benignum
Deſiit in noſtro ſidus ſplendeſcere mundo,
Sidus quo magno majus non fulſit Olympo,
Quod tantum reliquas præſtrinxit lumine ſtellas,
Plena ſolet quantum præſtringere Luna minores.
Hoc nitidos primum radios ſpargente per orbem,
Inceſſêre dies puri, Solesque beatis
Cœperunt populis magis affulgere faventes.
Hoc ſimul ac cæcis clarum caput occulit umbris,
Nox rediit præceps, intempeſtæque tenebræ
Involvêre diem, ſtudiorum gloria ceſſit
Hoc tutelari cum numine, cunctaque noſtras
Deſeruit ſedes vitali luce carentes.
Pergite Pierides lacrymoſum ducere carmen,
Tempora non queſtus, non flendi tempora ceſſent,
Sed turpi in luctu nigraque ſeneſcite veſte:
Occidit antiſtes præcellens atque ſacerdos
Unicus Aoniæ gentis ſummuſque magiſter,
Quo nemo melius Romanæ, nemo Pelaſgæ
Scrutatus monumenta Deæ vel ſcita ſophorum.
Quis nunc æratas acies componere juſtos
Per cuneos illi ſimilis, quis caſtra docebit
Ponere tuta loco, latiſque incingere foſſis,
Et conferre manus & in agmine ducere turmas?
Quis diſciplinam nobis, legeſque ſeveras
Antiqui prodet ſæcli, quêis Martia Roma
Imperium terris famamque æquavit Olympo?
Prandia quis duro narrabit ſumpta Sabino,
Injuſto ſub faſce viam dum carpit in armis?
Sacratas quis rite manus & pila ſariſſis
Vel gæſis infeſta feris, indicta tributa
Civibus, hoſtiles prædas, ſtipendia parva,

De-

Denique bellorum jus ac pia munia pacis,
Et quas mille alias fœcundo pectore ſolus
Clauſerat antiquis collectas pellibus artes?
Quid fidei illuſtrata loquar myſteria ſacræ?
Quid libertatis decus, aſſertamque ſuorum
Felici auſpicio cauſam patriæque ſalutem?
Ingratæ patriæ, Schelii cum funere tandem
Quæ ſua vix ſeroque nimis bona perdita novit.
Non novit certè, neque enim ſuſpiria duxit,
Aut doluit raptum, lacrymis aut lumina tinxit.
Horrendum crimen, nullus quod diluat imber,
Nec puri latices, nec magnus denique pontus.
Quum toto gentes concurrant undique mundo,
Et quos Sol oriens luſtrat, quoſque aurea condens
Cornua cæruleis vitreæ Nereidos undis:
Quique ſub Arcturo frigent, Cancrove caleſcunt,
Concurrant omnes pariter, lacrymiſque ſuperbam,
Pro ſe quiſque pii, decorent & luctibus umbram;
Quumque ſuper Gades, ſuper exauditus & Indos
Doctarum planctus fuerit gemituſque ſororum,
Impia mater ubi es? num ſola exempla dolori?
Quæque orbem involvit clades patriæne pepercit?
An vero infelix omnes diffuſa per artus
Regnat adhuc rabies, livorque in pectore durat?
Dî ſcelus avertant, nec tentet dira libido
In vivum graſſata nimis, poſt funera ſanctas
Rodere relliquias & caſſum lumine corpus.
An potius male grata pudor præcordia turbat?
Ah, pudor eſt, credo; pudet illacrymaſſe ſepultum
Quem non ex merito venerata eſt luce fruentem.
Ille etenim patriæ vixit pater atque patronus,
Et Saliæ ſupremus honos ac gloria gentis,
Quo melior nullus fuit aut illuſtrior illi
Civis, ſe quanto nunquam jactavit alumno:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Qui non quæſivit patriæ niſi commoda quicquam,
Qui totam illius vitam donavit amori,
Egregio cujus fuit alte in pectore fixum;
Prima ſalus populi mihi lex & norma Salani.
Quumque olim diris Furiarum concita monſtris
Tranſalia horribili quateretur terra tumultu,
Atque inter cives æterno fædere nexos
Ortæ eſſent lites, rixæque ac improba bella,
Illius inprimis divina niteſcere virtus
Incepit. tum priſca fides invictaque donis
Dextera, & incoctum generoſo pectus honeſto;
Tunc ingens animi vigor & ſubnixa polito
Judicio infractæ patuit conſtantia mentis.
Nam patriam tenuit mediis in fluctibus inter
Nimborum horrendos ſtrepitus ſævaſque procellas,
In nubes ſurgente ſalo, cæloque micante
Fulminibus crebris circum, tonitruque fremente.
Ipſe inconcuſſus ſtabat velut ardua rupes
Illam ſuſtollens humero validiſque lacertis,
Atlanti ſimilis, magno qui vertice torquet
Diſtinctum pulchre ſtellis fulgentibus axem.
Talem vel Periclem Tyrici vel nomine clarum
Suſtinuiſſe ferunt doctam Tritonidis urbem,
Graio diſſidiis populo belliſque flagrante.
Talis magnamini virtus immenſa Catonis
Effulſit Romæ, totus cum mundus abiret
Pompeii in partes & ſævi ſciſſus Iuli:
Quumque ſuæ raperent omnes in prælia cauſæ,
Hunc auri veſana fames merceſque ſceleſta,
Illum rupta fides legesque in pace timendæ,
Ambitio plures & honorum prava cupido,
Ipſe fuit ſolus cauſâ qui fecit in armis
Nil propriâ, ſolus ſtudiisque odiisque vacavit;
Sontica bellorum quem movit & unica cauſa
Libertatis amor populique odiumque tyranni.

Haud

Haud aliter Schelium traxêre domeſtica bella
In partes nec amore ſui nec amore ſuorum,
Sed pedibus calcata ſtudet dum jura Salanis
Inſtaurare ſuis, dominosque arcere potentes;
Seque bono patriæ penitus devovit, & omnes
Impendit vires animi vitamque lubenter,
Si qua monſtroſe corruptum condere ſæclum
Moribus integris & ſanctâ lege valeret;
Non minor Actæo legum latore, vel illo
Qui Lacedæmoniam formavit moribus urbem.
Quid referam cunctis ſervatum pondus in actis?
Sive Senatorem res ſeria poſceret, oris
Quæ gravitas ſancti? quis amor ſtudiumque decori?
Suaves ſive jocos miſcere ac ludicra vellet,
Quam facilis? quantuſque lepos & gratia verbis?
Quæ pietas? quam vile lucrum? quæ cura juvandi
Afflictos? neque enim placido non lætior ullus
Diſceſſit Schelii vultu dextrâque benignâ,
Nec niſi prava unquam poſcentis vota fefellit.
Hunc talem tantumque virum, quem ponere contra
Cecropidas poſſet, priſcæ & miracula Romæ,
Non ignoravit quiſquam, niſi patria ſola,
Atque illum adſpexit limis (quis credat?) ocellis,
Ac dotes tantas, quibus opſtupefecerat orbem,
Invida ſola negat, noxarum aut conſcia damnat.
Non equidem exiguo penſavit munere, paulo
Ante obitum oblato. longe majora merebat
Tantus amor patriæ, & caſus ſpectata per omnes
Virtus, par auro flammis ignique probato.
Ut verum fatear, nec velem crimina noſtra,
Non agnoviſti magnum, mea patria, donum
E cælis miſſum, juſtoque à numine raptum eſt
De-

Depoſito indignæ tanto gazâque latente,
Quin hilares vultus tibi nunc riſuſque ſoluti,
Lætior & ſolito greſſus, velut hoſte remoto,
Qui coram oſtentans virtutem & ſplendida facta
Ingratæ exprobrare tibi fera pectora viſus.
Sic ſic Auſonius Senecâ Pætove peremptis
Victor gaudet ovans Phalaris, graditurque ſu-
perbâ
Mente ferox nubes ſuper & ſola fulgida mundi,
Virtutis cæſæ ſpoliis ſuccinctus opimis.
Ne vero, ne tanta tuum dementia pectus
Amplius obſideat, miſera, officioque repugnet;
Quin potius plenis effundens lumina rivis,
(Hoc quoniam reſtat ſolum tibi) ſparſaque crines
Pulvere projectos manes placare ſepulti,
Et fœdam tandem ſtudeas detergere labem.
Adveniet tempus (falſum Dî reddite vatem)
Sed veniet metuo, quo circumſtante tumultu
Undique terribili (ſive exterus ingruat hoſtis,
Propria ſeu rurſum condas in viſcera ferrum)
Quo tu conſilio defecta, atque anxia multum,
Huc illuc variis curarum agitata procellis,
Non ſecus ac pelago pinus deprenſa furenti,
Amiſſo rectore vagis quæ fluctuat undis,
Jacturam Schelii ſatis haud luxiſſe dolebis;
Quo Schelium ingeminans languenti voce cita-
bis
Tutelam rerum quondam columenque tuarum,
Neglectumque decus meliori mente putabis.
Tum cuperes illum toti præponere genti,
Quaſſatamque ratem Tiphy committere tanto:
Tum velles cumulare ſimul, ſi copia detur,
Muneribus cunctis, plauſuque ad ſidera ferre.
Sed velles fruſtra, rapidis ac irrita ventis
Vota ferenda dabis, queſtuſque ciebis inanes.
Ille etenim ingratam relliquit jure peroſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Tellurem, cui luce ſua nimioque nitore
Lumina cæcarat (ſeu Phœbi ſplendidus orbis
Mortales hebetat viſus oculoſque tuentes)
Jamque inter ſuperos meliori in ſede receptus,
(Heic ubi digna bonis tribuuntur præmia factis)
Deſpicit inferius nubes terramque jacentem:
Ac vanos hominum conatus ridet & artes
Lædendi innumeras, odiumque, atræque venenum
Invidiæ, ingeniis inimicum ſemper honeſtis;
Attonituſque ſtupet, propter telluris, Olympo
Compoſitæ magno puncti vix inſtar habentis
Exiguam partem, vel inania nomina honorum
Oriri rixas cædeſque ac horrida bella,
Hoſtileſque volare manus & ſigna per agros.
Sic formicarum ludamus jure tumultus,
Si quando bilis præcordia parva moveret,
Arcta ſuæ propter rixantum jugera glebæ,
Pulviniſque nigrum brevibus procederet agmen,
Inſtrueretque acies & peila minantia peilis.
Ipſe his exemptus turbis fædoque duello
Curvati in terram vulgi, longeque tenebras
Humanæ ſupra mentis fæceſque locatus:
Ejus ubi pleno fruitur ſapientia voto,
Atque ea pernoſcit, quorum vix tempore vitæ
Herculeo tenuem niſu conceperat umbram,
Scaligeros inter fulgens ac numine plenos
Salmaſî manes, & magni nomina Grotî.
Quod ſi fas eſſet privatum adſciſcere Divum,
Juſtius haud quiſquam noſtro coleretur ab ore,
Juſtius imbueret nullius victima templum;
Omnes ille Lares noſtros patriæque Penates
Præſtaret merito, precibuſque in vota vocatus
Aſſidue, juſtis damnaret nos quoque votis.
Id quoniam haud licitum, memori ipſum mente colamus

Cordibus in noſtris, atque ædem rite ſacremus
Viſceribus mediis, quam contemerare maligna
Non poterit rabies, odiumve aut ira potentum.
Et quis digna ſatis monumenta aut templa dica-
rit,
Marmore templa licet ſtatuat ſolidove elephan-
to,
Huic tanto heroi peritura ævoque caduca?
Ejus enim laudes nomenque decuſque mane-
bunt,
Hæc dum compages terræ conſtabit & undæ,
Inque illis virtus doctrinaque nomen habebunt.

De Borna Tubantum vico, Schelii reliquias ſervante.

Parvula Borna ſibi placeat, concredita magni
Cui ſunt oſſa Schelî, nec tibi cedat, Ios,
Nec tumidæ Cretæ: jactet licet iſta Deorum
Regis, tu vatum corpus habere Dei.

PLANGOR
AD
CIVITATEM SALANAM,
in obitum
THEODORI BERDENII
Senatoris Daventrienſis & Seviri Salani.

NUnc cape lugubres, turbata Salania, cultus,
Submitte atratum ferali pulvere crinem,
Auguſtas arces velet funeſta cupreſſus,
Pulchraque cæruleæ cingant faſtigia vittæ.
Berdenius cecidit, tua, mater, maxima cura,
Et populi vindex & gloria prima Senatus;

Mœſtaque jam ſolam videt ejus curia ſedem,
Cujus verba modo, herboſæ fragrantia mella
Queîs Hyblæ cedantque thymo redolentis Hymetti,
Et dios ſenſus avida perceperat aure.
Gaudia delectum propter non parva recentem
Gaudebas, redimita comas & tempora lauru.
Jure quidem: quis enim, quæſo, fuit æquior illo?
Improba ſpes vulgi, ſpes ambitioſa repulſam
Accepit, moderata tulit ſua præmia virtus.
Sed quam non ſtabili ſunt conditione creatæ
Res hominum? vitæ tenet, heu, confinia lethum,
Lætitiæque premit dirus veſtigia mœror.
Æſtatem ſicut viridi velamine lætam
Triſtis hyems fœdoque habitu comitatur amicta,
Aut Latonigenæ pulcrè radiantia tela
Nubila tempeſtas & nigræ mortis imago.
Vix tu fortunam laudaras grata, volucres
Concutiens pennas, quum te poſt terga relinquit,
Berdeniumque tuum gremio ſubducit amico,
Berdenium, Saliæ vivebat qui decus oræ
Ingens, Aſtrææ clarus caſtuſque ſacerdos,
Legibus inſtructus Latiis, & jure paterno,
(Nomine quod Salici fuit ævo nobile priſco,
Libera Francorum gens quando reſederat arvis
In Saliis, quæ poſt Ligeri Rhodanoque ſubactis
Condidit imperium magnum, quod legibus iſtis
Hactenus innixum per plurima ſæcula floret.)
Qui fuit haud ulli veterum virtute ſecundus,
Quem non inſtantis potuit mutare tyranni
Ardens ſævitia vultus, non crimina vulgi.
Improba quem nunquam grex atque ſuperba potentum
Aut terrere minis, aut donis flectere quivit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Infractam ſemper qui mentem geſſit, & ullum
Delictum proprio nolens ignoſcere cordi,
Nec voluit cuiquam veniam concedere noxæ;
Invictus vitiis ſimul atque acerrimus ultor
Hinc nata invidia immerito eſt odiumque malorum,
Qui diſciplinam triſtem monituſque ſeveros
Detrectare ſolent ſemper: contingere corpus
Ut medium, quod cancer edit, vel quos coquit artus
Suppurata mali labes, non ſuſtinet æger.
Huic animus contemptor erat famæque ſiniſtræ
Livoriſque feri: quin contra audentior ibat,
Sanctam illis animam opponens & conſcia recti
Pectora, quæ nunquam ſtudium violavit habendi,
Quæ civis non paſta operis, non militis armis;
Quæ nullus ſudor duri parvoque beati
Agricolæ furtumve tuæ ditaverat arcæ.
Albo, proh, corvo cygniſque ſimillimus atris
Hoc noſtro prorſum ſterili virtutibus ævo,
Quo jocus & ludus ſceleratis artibus aurum
Surripere, & blandis ſocios eludere verbis,
Ac tua privatis prætexere commoda rebus.
Perverſi ô mores! ô planè perdita ſæcla!
Quo ruitis cives? quæ tanta inſania veſtra eſt?
Pro ſe quiſque rapit, ſibi conſulit; at bona tellus
Inter rectores patria eſt ſine vindice præda.
Sic Roma interiit, talem reperiſtis Athenæ
Exitium vobis, Pellæum & Græcia regem.
Sed quid Berdenii me fruſtra more fatigo?
In facinus juraſſe putes: ſique atra nitentes
Æthiopis latices poſſunt abſtergere membra,
Horum propoſitum verbis convertere ſperes.
O terra infelix, venali credita turbæ,
Nec tibi, fas ut erat, ſibi ſed ſervire paratæ.

Tu quibus es nihili, reſpublica nomen inane:
Sed quicunque poteſt cumulos componere num-
mûm
Ingentes, amplaque nefas mercede beare,
Ille vir eſt, ejus clarum & memorabile nomen.
Cumque tui curis fautores penè ſubacti
Inter mille trahant inopem diſcrimina vitam,
Veſtibus hi Tyrium quas ſæpius imbuit oſtrum,
Illuſiſque auro tunicis jactanter amicti
Ante ora incedunt hominum, latéque patentes
Aulas ædificant, villas, prætoria ponunt,
Se ſpolium obliti tenuis geſtare popelli,
Deque caſis miſeri ſtruxiſſe palatia civis.
Horum Berdenius ſcelerum implacabilis hoſtis,
Aſſertor legum libertatiſque patronus
Extitit egregius, regum cane pejus & angue
Nomen in hoc populo exoſus, cui legibus æquis
Jure fruique ſuo permiſſum à Numine ſummo
eſt.
Huic quantum junctæ diſtant umbone Phalanges
Primorum, plebis, curatorumque ſacrorum,
Quos libertatis jam dudum pœnitet aureæ,
Qui dominos optant vitiisve immanibus urgent?
Gratius ut radii fulgent Hyperionis illis
Et magis accepta colluſtrant lampade terras
Quas nox longa premit noctive ſimillimus im-
ber;
Sic virtus præclara Viri plus complacet inter
Tot fædas ævi maculas & turpia monſtra:
Et qualis tenebras rubicundo diſcutit ore
Cynthia, quum pleno ſpatiatur in æthere cornu,
Talis Berdenius cæcis ſplendebat in umbris,
Atque illuſtrabat gentes probitate Salanas.
Hoc tantum patriæ lumen nunc occidit, ah! ah!
Noſque iterum immerſos alta caligine liquit.
Ergo igitur Saliæ contundite pectora matres,
Atque

Atque Daventriacæ ſuſpiria ducite nymphæ.
Scindite veſtimenta viri, juveneſque, ſeneſque,
Et tantam cladem non ſicco lumine ferte.
Hujus enim ſumma functi virtutibus hora
Eximiis niſi ſi reſpondeat unus & alter,
Quos reliquos cæli fecit clementia nobis,
Funditus interiit, ſpoliumque & præda malorum
Et ſcelerum merces Iſalania tota futura eſt.
Serva hos, magne Deus, ſi non exoſus ad unum
Felices Salios, exſcindere pulchra paraſti
Oppida, & illuſtrem (procul abſint omina) gentem.

EPITAPHIUM.

Berdenii ſtillans cæleſti nectare lingua
Et ſaturum juris pectus inane jacet.
Aſt animus ſcelerum vindex atque ara piorum
Vivet, cum caſtis dum ſceleratus erit.

In acerbum funus unici fratris

JOHANNIS HOGERSII THEOLOGI.

HUccine, prô ſuperi, reciderunt vota preceſque,
Quas pro germanâ dixi fecique ſalute?
Sic eliſa mihi tot ſpes concepta per annos,
Ut quondam noſtri foret hic tutela decuſque
Nominis, & patriæ non infima gloria terræ.
O cæcas hominum mentes vanaſque futuri!
Ecce cadit primis fato convulſus in annis,
Ætatiſque in flore ſuæ; velut herba niteſcens

Quam meſſor ſecuit, tenerum vel ſtirpe reciſum
Agricolæ germen manibus procumbit in arvo.
Hactenus erectâ tolerabam mente parentum
Interitus, ſuperabat enim qui reddere poſſet
Solamen frater, resque inſtaurare paternas.
Nunc omnis quoniam me ſpes ſublapſa reliquit,
Totum infinito juvat indulgere dolori,
Et primâ revocare graves ab origine luctus.
Nam venit in mentem, Batavis ut nuper in oris
Utrique æternum valediximus ambo parenti,
Et vox illa patris mœſtas circumſonat aures:
Salvete ô gemini, dulciſſima pignora, nati,
Nos hinc ad patriam rurſus contendimus urbem
Sidere peſtifero flagrantem, plena dolorum
Omnia ubi occurrent, & buſtis funera juncta,
Et circumvolitans nigris mors pallida pennis.
Vos autem unanimes, concordia pectora, fratres
Vivite, vos commendo patri qui temperat aſtra.
Adſtabat genitrix defixa dolore, nec ulla
Edere verba poteſt, nec fari triſte valete.
Quis nobis animus fuerit, cum prora moveri
Cœpit, & in ſummâ turgentibus arbore velis
Puppis terga dedit volitans, longéque reliquit
Utrum viſuri poſthac aut rurſus in unum
Unquam venturi dubios, interque timorem
Mentibus incertis hærentes ſpemque minorem?
Sic Ceyca ſuum ſpectans in littore conjux
Merſuris ponto tradentem lintea ventis
Horruit Halcyone, pectus percuſſa decorum,
Ac laniata genas, veluti præſaga futuri.
Quis poſſit narrare dies, quis dicere noctes
Perpetua cum cura atque anxietate peractas?
Fatalis donec pervenit epiſtola, quæ nos
Ancipiti ex æſtu medium projecit in æquor
Immenſi luctus, extremorumque malorum:
Correptum morbo patrem; mox, morte peremptum,

Et matrem mœrore gravi decumbere victam.
Hos niſi tu caſus frater vivuſque valensque
Leniſſes, erat haud quicquam cur vivere vellem.
Vitæ cauſa mihi, mortis mora tute fuiſti.
In te fata Deûm quod adhuc venerarer habebam:
Et precibus cælum noctesque diesque fatigo,
Ut velit hoc ſolum mihi triſte remittere funus,
Atque caput ſervare tuum, nec pectore in uno
Crudeli binas animas extinguere letho.
At vani queſtus, aſt irrita vota fuerunt,
Et tu ſupremum cumulaſti vulnere vulnus.
Quis modus ærumnis, aut quæ mihi denique reſtat?
Poſt placitos dirâ ſublatos morte parentes
Vidi confectum morbo, vidique jacentem
Germanum, qui ſolus erat, qui carior omni,
Ipſiuſque oculos clauſit mea dextra ſolutos.
O lux crudelis, letho ô crudelior ipſo,
Lux, quam longa mei nunquam lux obruet ævi,
Ductoris quamvis Pylii tria ſæcula vincam,
Aut mille Euboici tranſcendam pulveris annos.
Non ſi vox fuerit mihi ferrea, lumina centum,
Effari poſſim, aut tantos deflere dolores.
Non ſic magnanimum fratrem Clymeneïa proles,
Non ſic formoſum nymphæ doluêre ſorores
Narciſſum, quamvis reſonarent æthera planctu.
Caſtora Pollucemque ſuum pia Græcia tollat
Laudibus in cœlos inſignem propter amorem,
Non tamen his vincar. quam vellem pectore toto,
Si quà fata ſinant, interpellare ſacrati
Ferrea jura poli, fratriſque avertere peſtem,
Atque meâ illius vitam reparare ruinâ!
Illo etenim ſalvo poſſedimus omnia ſalva,
Cumque illo amiſſo perierunt omnia nobis,

Nec præter luctus quicquam lacrymaſque relictum.
Et decus & vitam fati inclementia fati
Eripuit nobis, quando proſtravit acerbo
Funere germanum qui vita dulcior omni.
Obrutus, oppreſſus magnorum mole malorum
In mediis, ah, prodor aquis conſorte revulſo.
Quo mihi frater abis? cur deſeris unice fratrem?
Qui fuit haud unquam lateri disjunctus amico,
Qui te plus propriis adamavit ſemper ocellis,
Et ſine te gratum, tecum nil triſte putavit,
Dimidium ô animæ noſtræ, dulciſſime rerum.
Quis mihi nunc reddat mea tempora, grandia queîs te
Sive ſalutaris doctrinæ verba ſonante,
Seu perplexa ſacri ſolvente ænigmata Libri
Aure bibam patulâ ſancto ſuſpenſus ab ore?
Non ego te poſthac gratum comitabor in arvum,
Lympida quod flavis præterfluit Iſala ripis,
Non heîc aut doctis fallemus tempora chartis,
Aut dulci noſtras non parvo pondere curas
Ærumnaſque graves animi ſermone levabis.
Non cenſenda tibi proponens nare ſagaci
Induces mea ſcripta ſtylo mendoſa ſevero,
Et male ſana levi virga punctove notabis
Exactus cenſor. non te, ſi vindice dignus
Inciderit nodus, rurſum appellabo, tuique
Veram judicii lancem ingeniumque probabo.
Non, quandoque furor præcordia ſacra movebat,
Æthereo afficies iterum me carmine, magnum
Collaudando Deum, tituliſque ornando ſuperbis
Illum qui nobis moriendo reſtituit rem
Collapſam vitio primi pœnaque parentis.
Nam quoties animis Chriſti præconia volvo,
Ac revoco plenam cæleſti numine vocem,
Robore defectum quando mors ipſa tenebat
Fauci-

Faucibus, & lentâ vaſtabat corpora tabe,
Non mihi mens conſtat, nimioque obſeſſa dolore
Lætitiâque ſimul, veluti perculſa, ſtupeſcit.
Haud ſecus attonito ſtat Lydus corde viator
Dulciſonis cum fortè movet ſua cantibus ora
Mollibus in ripis ad dulcia ſtagna Cayſtri
Æger olor recubans, atque alta ſilentia rumpens
Concelebrat proprium lugubri carmine funus.
Mellea nunc hæc ora rigent, facundaque lingua
Conticet, & vitam pariter cum voce reliquit.
Quique modo ante alios ſenſu, quique arte vigebat,
Immotum jacet & viduatum lumine corpus.
Quo tibi jam tantos, frater dilecte, labores
Exhauſtos, junctas luces nocteſque tot annis
Pervigiles actas ſtudiis; curamque ſalutis
Neglectam penitus, ſtimulat dum pectus honeſtum
Doctrinæ permagnus amor, vehemenſque libido
Noſcendi interius caſti myſteria Verbi.
Hæc etenim tibi cauſa mali, nutricula morbi
Hæc tibi ſola fuit. memini monuiſſe cubantem
Sæpius, utque aliquam rationem duceret ægri
Corporis obnixè verbis lacrymiſque rogaſſe.
Sed cuncta evicit ſtudiorum immenſa cupido:
Utque quis incaſſum tentet prohibere liquore
Quem crudelis hydrops intra præcordia vexat,
Quin inflata novis ſua viſcera adimpleat undis,
Sic noſtræ valuêre preces monituſque ſeveri,
Quo minus ingenio tenuaret debile pectus.
Nam ſacer invalidos artus (quis credere poſſit?)
Ignis depaſcens, ac ardentiſſima febris
Diſcendi accendêre ſitim; quoque acrius uſſit
Vis morbi, magis hoc doctrinæ gloria crevit.
Vitali donec conſumpto ſemine toto,

Laſſam animam ſub faſce dedit. O improba fata!
O miſeram ſortem ! quoniam depellere tentat
Ignavas animo tenebras noctemque profundam
Infelix orco debet ſubmittere corpus,
Et vitam propter cauſas amittere vitæ.
Hunc etenim ad finem lucis nos miſit in oras
Æthereus genitor, voluitque hoc orbe morari,
Non infinitas complere ut cenſibus arcas,
Aut ventrem farcire cibis Bacchove queamus,
(Non etenim fuerat naſci, non vivere tanti)
Sed verò ſupra mortalia ſurgere mente,
Mittere & in fructum cognati ſemina cœli.
Hâc ſub lege data eſt nobis conceſſaque vita,
Nec placet illa mihi tantos ſi quis neget uſus.
Hos autem propter Cœli nos lumine privant
Sævæ fila (nefas) Divæ, coguntque videre
Infernos amnes, & luce carentia regna.
Scilicet exitii deerat mortalibus unum
Hoc genus invalidis. an, quod per tela, per ignes,
Perque gulam & rabiem ponti Cælique propago
Stulta hominum in caſſes ac retia Ditis avari
Prona ruit, tibi mors necdum ſuffecit, & iſtud
Lethiferum ut faceres propter quod vivere fas eſt?
I nunc, & pectus ſtudiis intende, tuumque
Defrauda genium, placitos, i, reſpue victus,
Sperne voluptates, hominum conſortia vita
Sola ut cum doctis habeas commercia Muſis.
Ique, tuamque ſimul, vitiato corpore, mortem
Accelera, & volucri venientem pertrahe greſſu.
Sed licet exclamem: tanto felicior! eja,
Invidit quæ Parca tibi meliora paravit,
Proque ſiti, curaque, catenatoque labore
Delibandi animo ſummi penetralia regis
(Non oculis cernenda tuis dum vita manebat)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Jam tibi cuncta patent excuſſis atria clauſtris,
Jam fas eſt viſu penetrare & acumine mentis
Quos adytus tanto niſuque æſtuque petebas.
Nunc juvat immenſi media inter lumina mundi
Feliceſque animas ſpatiantem diſcere, quantus
Ille opifex rerum, quo pacto trinus & unus,
Humanam quare ſibi ſumpſerit ipſe figuram,
Mortalique latens formâ peragraverit orbem,
Infauſtâ donec ſuſpenſus ab arbore mortem
Extinxit moriens, rediitque ad ſidera victor.
Omnia num peragat magni ſapientia Patris,
An fors in partem veniat vel noſtra voluntas?
Quis toti finis mundo rebuſque creatis?
Num ſoli æternâ potiantur ſede beati,
An poſt fata etiam maneat ſua pœna ſceleſtos?
Ergo quies optata tibi portuſque petitus
Contigit; at nobis anceps vitæ æquor arandum
Fido nudatis ſocio, qui ducere navem,
Et vada cæca maris rupeſque notare ſolebat.
Quumque ſacri tibi ſint hymni cætuſque piorum
Cordi lætitiæ pleno, nos mille relicti
Ærumnas inter luctu torpemus inertes,
Et deſiderio tanti ſquallemus amici.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

EPITAPHIUM

Nobiliſſimi & excellentiſſimi Viri

GULIELMI RIPPERDÆ,

Equitum primò turmæ Præfecti, poſtea in præpotentium terra marique fœderati Belgii principum numerum relati, ac ab iiſdem ad pacem cum rege Hiſpaniarum æquo & æterno fœdere jungendam Monaſterium miſſi.

INnumeris cinctus Pario de marmore ſignis
Ripperda antiquis fulget imaginibus:
Sed nullum gentis ſignum eſt illuſtrius illo,
Quod de ſe natis tradidit ipſe ſuis.
Quando poſt ſæclum funeſto Marte peractum
Reſtituit patriis otia dia focis:
Fœdere percuſſo quod regni nomine Belgas
Reddidit immunes, aſſeruitque ſibi,
Quod gemini Hiſpanum turgentem viribus orbis
Exuit imperio quo nimis uſus erat.
Enſe tegens patriam currum lauruſque meretur,
(Hic quoque pro patrio ceperat arma ſolo)
Civibus at feſſis pacem qui contulit almam
Ante alios omnes jure triumphus eat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

IN EFFIGIEM
J. MAURITII
Illuſtriſſimi NASSOVIORUM Principis & BELGARUM Imperatoris, anno CIϽ IϽ CLXV.

In Minervæ, Vulcani & Famæ comitatu artifice manu depicti.

SAlve magna Ducum ſuboles, decus addite Divis
Naſſoviis, quorum tangentibus æthera pennis
Fama per immenſum late ſpatiabitur orbem
Dum Batavum nomen magnarum & gloria rerum
Implebit geminos diverſi ſideris axes,
Et premet occiduos & Eoi cardinis Indos.
Nulli tantorum Princeps decedis avorum:
Namque haud contentus primos triviſſe per annos
Imbelles galeâ crines, haſtamque tenellâ
Concuſſiſſe manu, veteranos miles Iberos
Et Mavorte bonos tyro ſtraviſſe ſub armis,
Vel puer ad muros & propugnacula turres
Hoſtibus armatas animo ſubiiſſe virili:
Atque ita ſpectatis bello, quum ſponte vocares
Nobilitatis honos, meritis majora potitus
Mox juvenis, fortes in prælia ducere turmas,
Obſidione urbes & vallo cingere caſtra,
Et cum Principibus partiri munera laudum
Auriacis, laudum quas nullum finiet ævum.
Non his contentus ſuperaſti facta tuorum,

Naſſo-

Naſſovioſque inter ſulcaſti navibus æſtus
Ignotos princeps, alio & ſub ſidere gentes
Pacaſti poſitas, uſtosque à Sole cadente
Et ſeſe Oceano merſuris ignibus Indos.
Nam quum majorum clareret vita triumphis
Belgarum in patria patrio vel in æquore partis,
Finitimis ſordet tibi repportata trophæis
Sanguine junctorum nimiumque domeſtica fama,
Intactoſque juvat populos penetraſſe, tuiſque
Hoſtibus auſpicio domitis atque orbe recenti
Braſilium nomen titulis junxiſſe parentum.
Tot rebus geſtis clarum quum tardior ætas
Ponere militiam atque enſem ſuſpendere templis
Emeritum & placida poſcebat pace beari,
Ecce novum patriæ bellum tranquilla regentem
Quæ tibi jamdudum commiſit ſceptra tuenda,
Cui Soderanorum, Fredericus, regia paret,
Maximus Imperii Cuſtos, Dux, atque Senator,
Gloria Teutonicæ gentis, Virtutis imago,
Relligionis honos; illic te forte vacantem
Paciferis ſtudiis, & vel, tua vota, colentem
Fontibus irriguos hortos ac rura beata
Clivorum in campis & natas frondibus umbras;
Umbras lætorum nemorum, ſaltuſque jugoſos
Pulchris cervorum gregibus leporumque frequentes;
Qui nemora Alcinoi vincunt quæ fama ſecuta eſt,
Quæque manu magni plantaria conſita Cyri;
Sive novas artes meditantem, quæque vetuſtis
Ignara ingeniis alta ſub nocte jacebant
(Almæ pacis opus, ſed ſævis utile bellis)
His ſimiles curas atque otia dia foventem
Excivit cornu triſtis Bellona cruento,
Atque ſago mutare togam galeæque coëgit
Can-

Candentes aptare comas & pectora ferro.
Scilicet haud alium forti de gente virorum,
Quorum infinitæ tua cingunt atria ceræ,
Huic moli ſuperare parem nec Patria dignum
Ancipiti bello cenſet tantiſque periclis
Te præter rerum cui ſummam credere poſſit.
Sic Curiis, Fabiis & cum Curſore Camillis,
Feſſa licet gelidus ſanguis per membra mearet,
Quando urbem peregrina manus cervice tenebat,
Aut civile intus lacerabat viſcera bellum,
Confiſa eſt Romana ſalus; diffiſa juventæ,
Diffiſa ætatis flori: ſoloſque ſubactos
Annorum ſpatio ac exercita pectora rebus
Rebus collapſis ſuccurrere poſſe putavit.
Sed nunc Muſa refer, quî Princeps fulminis inſtar
Perculerit ſtolidis fidentem viribus hoſtem,
Ditibus & prædis & proditione ferocem.
Hoſtiles animos belli metuenda virago
Conſpiciens, quantumque Heros diſcrimen adiret,
Ætatique timens canæ capitique ſenili
Mulciberum haud ſupplex adiit, procuderet arma
Naſſovio mandans. Divæ hic mandata potentis
Armorum exequitur gaudens. opus exigit ipſa
Exactumque ſuis manibus Dea bellica portat
Munus Mauritio dilecto. ille induit artus
Loricam ſqualentem auro ſcutumque ocreaſque.
Ipſa Dea imponit galeam Martiſque nitentes
Et Jovis armigeris criſtas, enſemque coruſcum
Porrigit. haud aliter Graiorum murus Achilles
Et pius Æneas armati in bella ruebant.
Non alio pater ipſe habitu Gradivus & armis,
In Dacos quum caſtra movet pictoſve Gelonos
San-

Sanguineum accinctus gaudet conſcendere currum.
Sed Fama interea tanto obſtupefacta paratu
Antevolat, nomenque Viri Vulcaniaque arma
Per tractus omnes terrarum & cærula ponti
Perſonat, ac magnum terrorem ſpargit in omnes
Europæ populos; ſed nullas attigit oras
Weſtphalicis citius. gelidus pavor occupat hoſtem
Attonitum, atque ſuis deſperat rebus inanis
Sacrificus (quem vitta magis quam parma decebat.)
Quid faciat? neque ſtare poteſt tela aſpera contra,
Divinoſque ictus fragili defendere ferro:
Turpe autem velare manus veniamque rogare
Supplicibus votis, ultro quando intulit arma
Ipſe prior, multiſque minis & voce ſuperbâ
Commiſit bellum. ſed ad hoc deſcendere ſuadet
Ultima cura ſui, propriam nî cernere malit
Ardentem flammis repletam & ſanguine gentem,
Et pulſus patriis extorris vivere terris.
Macte nova lauro, Mauriti, macte trophæo
Sanguinis haud pretio, celebri ſed nomine parto.
Hac quoque nobilibus præcellis parte triumphis
Majorum egregiâ virture & fortibus actis,
Verum civili nimioque cruore paratis.
Tu terrore tui, tu magnæ fulgure famæ
Hoſtes confundis validos, genibuſque minores
Porrectaque herba pacem depoſcere cogis.
Talis fama ducum, quos vexit in æthera virtus,
Plures munitas urbes populoſque rebelles
Aut petere indecorem ſubmiſſo crure ſalutem,
Aut curvata jugo ſupponere colla coëgit,
Quam manuum vires aut fœdi ſanguine campi.
Talia, dent ſuperi, contingant fulmina nobis
Bellorumque Duces ſemper ſimileſque triumphi.

A.D.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

AD
SAMUELEM BOCHARTUM
Virum incomparabilem.

ANtiquas Cadomi peterem quum nobilis arces,
Bocharti immenſo cernendi accenſus amore,
Bocharti famâ longè ſuper æthera noti,
Hæc mecum tacitus: Quid agis ſtultiſſime rerum?
Tune virum, cui ſponte ſuâ doctiſſimus orbis
Submittit faſces, Heliconiadumque ſenatus
Aſſurgit, vano tentas ſermone morari?
Tune domum, quæ ſola patet, queîs pulcher Apollo
Fontibus ora ſacris & Divûm nectare pavit,
(Nulli alii doctum fas eſt inſiſtere limen)
Artibus ingenuis audes invadere nudus?
Reſpice quæ ſacris fuerit reverentia quondam
Sortibus: adventante Deo, procul eſſe profanos
Mandabat vates, ſanctiſque arcebat ab aris.
An vero tu, ſtulte, putas hunc eſſe minorem,
Cujus vel reſponſa petit vel pendet ab ore
Quicquid doctorum mundi ſub vertice floret;
Quique nives Geticas habitant, Arctoque ſub ipſâ,
Quique bibunt trifidi ſapientes oſtia Rheni,
Quot non Phœbeis petiêre oracula Delphis
(Ante alias etſi præſentia numina jactent)
Aut Dodonæis reſonant ubi quercubus æra.
Siſte gradum, dignoque magis bona tanta relinque.
Deſpondebam animum penitus, quando ecce recurſant

Multa

Multa viri virtus animo, vultuſque benigni,
Et molles aditus, mihi quæ deſcripſerat olim
Gronovius, docto toties laudaverat ore.
Quod ſi etiam ſtudiis mentem excoluiſſe ſeveris
Mores emollit, meritoque dedêre priores
Artibus humanis nomen, quàm dulce latebit
Hujus corde decus morum; quàm fronte ſerenâ
Et viſu facilis, quàm dictu affabilis heros,
Condidit in cujus ſe pectore tota vetuſtas,
Et qui juncta tenet faciunt quæ ſparſa beatos.
Ruſticus hic pudor eſt; quin jacta ſit alea, dixi,
Audacique auſu Bocharti tecta petivi.
Quis mihi vero animus, ſermonis mella politi,
Ambroſiæ ſuccos & tot ſuaviſſima verba
Quando avidè biberem, ſacroque horrore tre-
mentem
Aſſereret vultu cordis ſpondente favorem;
Vultu, cœlicolûm quali rex Juppiter olim,
Quum factis ſuperas meruiſſent fortibus arces,
Amphytrioniadem vel confirmaſſe Quirinum,
Aſtrorum attonitos fulgore, gravique potentum
Majeſtate Deûm, totum quæ perculit orbem,
Dicitur, & regni lætos in parte locaſſe.
Scilicet hoc cœleſte fuit, ſuperiſque propinquum,
Doctrina ingenti totum quum viceris orbem,
Nec tanta potuiſſe pati virtute priorem.
Quos tantis autem meritis reddemus honores,
Et grates dignas, quæ, ſi mea carmina poſſent,
Nulla unquam obſcura raperet ſub nube vetu-
ſtas.
Accipe, nil aliud quoniam miſero mihi reſtat,
Devotam mentem, quâ nec Jovis ira nec ignes,
Nec quando ipſe velis ſtudia in contraria verti,
Te ſpoliare queas; habeas ſerveſque ſepulchro.

AD

AD PETRUM DANIELEM HUETIUM

Virum celeberrimum.

UT fortes cognata petunt armenta leones,
Nec ſecat æthereas ardea ſola plagas:
Vinxit amore ſuos tanto Sapientia cives,
Junctasque inter ſe juſſit habere domos.
Sic Helicon pulſat ſummas ubi vertice nubes,
Eque caballinis fontibus unda fluit,
Collibus Aonides ſemper glomerantur iiſdem,
Avia nec doctum deſerit ulla gregem:
Seu cantare ſimul, fidibus ſeu ludere malint,
Ducunt unanimes, læta caterva, choros.
Haud aliter veſtræ tangenti limina terræ,
Quo me Bocharti traxerat unus amor,
(Non alius, fateor, noſtras arrexerat aures,
Inter tot doctos, quos alit illa, viros,
Non Grentmenilius, non tu, clariſſime Hueti;
Splendida tot famæ nomina cæca mihi)
Ingens occurrit (mirum) Phœbeïa turba,
Deliciæ cuncti curaque ſumma Dei:
Quot non Palladiæ pariter fudiſtis Athenæ,
Phocais aut veſtris æmula Muſa ſcholis.
Undique viſa mihi magnum contracta per orbem
Ingenioſa cohors his coiiſſe locis;
Cummunique ſacrum Phœbo de marmore templum,
Communeſque ſibi conſtituiſſe focos.
Heic ſemper grato redolent altaria fumo,
Et ſummis pendent florea ſerta tholis.

Heic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Heic Deus ipſe manu Muſarum regna locavit,
Ex quo Parnaſſum barbarus hoſtis habet.
Poſthabitis aliis colit hoc. heic illius artes,
Fatidicumque patet nocte dieque ſpecus.
O fortunatos, ſacrâ quibus æde morari,
Atque datum doctis munera ferre Diis.
O mihi ſi liceat veſtræ partem eſſe catervæ!
Contemnenda licet pars tamen eſſe velim.
Cælo aliter viſum, dulces quod linquere ſedes
Ulteriuſque meum carpere juſſit iter.
Attamen hoc grator mihi, quod contingere dextras
Faſque videre virûm docta tot ora fuit:
Et patriis olim meminiſſe juvabit in oris,
Attonitiſque meis civibus iſta canam.
Proſequar ante odio Muſas, quam pectore noſtro
Labantur vultus, inclyte Huete, tui,
Doctaque mellifluis ſalientia pectora rivis,
Saucia Pierii pectora fonte jugi.
Denique dulce melos, priſcum quod provocat ævum,
Ætherea large quod tibi ſede fluit.
Hanc ſaltem mihi junge tuam precor, optime, Muſam,
Diſcidiumque comes leniat illa tuum.
Solus in ignotis dum poſthac urbibus erro,
Dulce ſodalitium quæ mihi reddat erit.
Tum notas avidus voces haurire videbor,
Atque illos ſtupui quos ego ſæpe ſonos.
Quæ veſtros referat tabulam non præfero vultus
Vincat Apelleam quamlibet arte manum:
Corporis hæc tantum poterit revocare colores,
Illa animi formas ingeniique dabit.

MINERVÆ DAVENTRIENSIS
Querela
De immaturo diſceſſu
JOHANNIS GEORGII GROEVII,
Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſoris,
In Academiam Trajectinam evocati.

O Decus, ô noſtræ nuper ſpes altera terræ,
Tam citò dilectam, Grœvi doctiſſime, ſedem
Prodis, & illuſtri deſolas ſidere gentem?
Gronovium quando traheret malè fida ſecundis
In Batavos fortuna meum, Muſæque pararent
Cum fautore ſuo deſertas linquere terras,
Hoc metuens crudele nefas, ſtragemque Lycei,
Ac circumſpiciens pubem quis duceret orbam,
Exciperetque pari vacuas virtute cathedras,
Ilicet, agnoſco, multis de millibus unum
Te vidi lapſis dignum ſuccurrere rebus;
Et vidi, & legi, ſucceſſoremque vocavi.
Jamque pios pariter nova ſpes erexerat omnes,
Te fore, qui noſtros poſſet relevare labores,
Confirmare Deas, ac inſtaurare ruinam;
Affectumque tuum mirè ſtudiumque probabant,
(O cæcas hominum mentes, vanaſque futuri!)
Quum tu, fruſtratus nos & communia vota
Trajectum tendis, levis ah deſultor amorum.
Per tria Gronovium poſſedi luſtra, tuarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Ad tres autumnos mihi vix data copia laudum.
Ipſe quidem immitis, multum at tu ſævior illo,
Qui dirâ, horreſco referens, de clade recentes
Diſcindis plagas, & adhuc ſine tegmine vulnus.
Ille mihi triplex geſtat ſub pectore ferrum,
Quem non diſcidium movit tam triſte: movebat
Nam duras ſilices ſolidis ac mœnia ſaxis,
Et validas turres, & vaſto robore quercus;
Quæque meam denſo prætexunt agmine ripam
Expanſis tiliæ ramis flevêre ſuperbæ,
Naïadumque chorus, montanaque numina Fauni,
Et quoſcunque Deos pellucida continet unda,
Effuſis lacrymis magnum oſtendêre dolorem.
Ipſe ſed ante alios Nymphis gratiſſimus amnis,
Amnis tergemini pulcherrima filia Rheni,
Si quando nimium ſtringens præcordia mœror
Voci præbet iter vacuum, miſerabile carmen
Integrat, & ſurdas pulſans ſingultibus auras,
Te revocat, te luce ciet noctiſque tenebris;
Te reſonant totâ viridiſſima paſcua ripâ.
Atque his continuis Iſala attenuata querelis,
Et gemitu depaſta ſuo, ceu Sole tepenti
Cana ſolet primo tenuari mane pruina,
Sic macie male viva ſuâ tabeſcit, & ægrè
In pontum exiguis lento pede volvitur undis.
At vos, ô Batavæ, ſi verum ponere rebus
Jam tandem pretium, tandem didiciſtis Athenæ,
Fortunata quidem & ferientia vertice cœlum
Oppida, ſed noſtris ſemper creſcentia damnis,
Hæc promiſſa fides, jurataque pacta fuêre?
Junximus anne ideo ſocias in fœdera dextras,
Juſtius ut ſpoliis vos ornaretis amicis?
Uſque adeone placet peregrinæ gratia prædæ,
Ut non, exuviis mundi totius onuſtæ,

Dextram

Dextram poſſitis ſaltem cohibere rapacem
Fœdere conjunctis, ſociæque relinquere egenti
Pignora quæ fuerant ſua ſpes & ſumma voluptas;
Pignora cara illi velut unica filia matri?
Haud ſcelus admiſit tantum, qui, mille beatus
Conjugibus, fidi ſceleratâ mente mariti
De gremio caſtam ſolamque abduxit amicam,
Atque inopi ſponſo locuples ſubſedit adulter.
Quas cupidis autem tali pro crimine diras
Imprecer, atque iſto dignas conamine pœnas?
Nunquam ſæva ſuis ſatientur corda rapinis,
Cum ſpoliis ſed creſcat amor veſanus habendi;
Et qualem laceraſſe ferunt Eriſichtonis ora
Peſtiferam rabiem, quæ non placata manebat
Mille epulis, hoc plura petens quò plura vorabat.
Nec tamen inde ſuis ſperent compendia Muſis,
Sed tantas nequeant ingratæ noſcere dotes,
Nec meritis cenſere ſuis, & parta labore
Ærumnâque gravi parvi mox præmia pendant.
Non ſecus ac latrans fænilibus incubat altis,
Nec ſtramenta ſuo curat nimis aſpera ventri,
Sed morſu cunctas ſubjectis invidus herbis
Defendit pecudes, & victu privat amico.
Hanc illis mentem Nemeſis juſtiſſima reddat,
Fraudanteſque meos optato munere cives
Sint, velut ignoti quondam draco pervigil auri,
Vanæ cuſtodes, at commoda nulla laborum,
Depoſiti nullus ſervati ſuppetat uſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

AD EUNDEM.

MAgnanimus præbes aliis tua munera, Grævi,
Quaſque Minerva tibi prodiga fudit opes.
Doctæ porta patet mentis noctesque dieſque
Cunctis doctrinæ quos ſacer ardor agit.
Divinum quiſquis tenebroſis occulit umbris
Ingenium, & nullos inde juvare cupit,
Uſu ſplendentes idem eſt qui condit avaro
Occultis nummos divitiaſque locis.
At quantò melius latuiſſent uſque metalla
Terrarum venis ingeniumque polo.

AD DOCTOS VIROS,

Quorum memoriæ libellum conſecraverat.

QUiſquis es, inſcriptas doctorum nomina chartas
Qui cernis, ſacras ſi tibi Phœbus opes
Contulerit, multas artes atque ore rotundo
Muſa loqui, larga munera tanta manu;
Jamque per ora virûm volitas, ne deſpice quæſo
Quem necdum ſummâ fama levavit humo,
Et qui conatur tantum, dixitque ſalutem
A primo vixdum limine, Phœbe, tibi.
Haud Diva genitum puduit, quem maxima Troja
Non cepit, vilis tecta ſubire caſæ
Pauperis Evandri, juxtaque encomia vatum
Auctores habuit quos tulit æthra Deos.
Eja age & auſpicibus ſuperis ne ſpern minores,
Artibus egregiis hoc quoque necte decus.

Forſi-

Forſitan ignota licet eſt mihi meſſis in herba,
Et quamvis clauſo cortice gemma ſubeſt.
Ecce umbram ſeris factura nepotibus arbos
In ſilvis hodie planta tenella latet.
Non equidem noſtræ ſedet iſta ſuperbia menti,
Exiguæ vires tangere celſa negant.
Attamen audebo. petierunt ſidera fortes,
Degener indecori ſpiritus hæret humo.
Quod ſi noſtra ſui non implent carbaſa venti,
Nec favet inceptis torva Minerva meis,
Forte aliquis dicet: magnis tamen excidit auſis.
Proderit ad laudes hæc quoque fama mihi.

AD
JOHANNEM STROCHELIUM

Poſtquam publica de Evictionibus diſputatione ſe omnibus approbaſſet, in ampliſſimum Juriſperitorum ordinem allectum.

IN Saliis doctus floret Gronovius oris,
Deliciæ, Aonides, veſtræ, princepſque ſacerdos.
Incolumes priſcis dum ſtabunt moribus artes
Ingenuæ, nomenque viri laudeſque manebunt.
Ille, Daventriacæ celeberrima gloria Muſæ,
Non nimium magnas adolet, ſed odoribus aras
Et florum ſertis & amico thure frequentes.
O fortunati cives, illuſtre tenentes
Depoſitum, ſi fata favent; nam velle minantur
In Batavos transferre. Deus, Deus omina vertat.
Sedibus in patriis docto hoc ſuſpenſus ab ore

Noſter amor, magni proventus ſemina jecit,
Illotis gnarus manibus ſacraria juſtæ
Non tangenda Deæ. procul, ô procul eſte profani.
Artibus egregiis Themidi ſaturata dicavit
Pectora, Tichlero dextre ducente. celebrem
Poſt hæc audivit Coccejum. maxime Vinni,
Ultima cura tibi myſteria pandere Divæ
Abſtruſa & ſummam ſtudiis imponere dextram.
Moribus antiquis & ſancto jure Quirini
Præclarè inſtructus, luſus ac arma reponit,
Nec ſimulata ſuum accingens ad prælia pectus,
Ante Gradum ritè ad ſummos evincit honores.
Macte nova lauro Strocheli, macte trophæo,
Quod peperit Themis alma tibi, juſtumque duellum,
Quo nunquam fuit acre magis, cum mille ſagittæ
Falſarum legum & contorti ſpicula juris
Circum te ſtreperent, ceu multa grandine nimbi;
Tu ſtares firmus, niſuque immotus eodem,
Seu dextrè evitans ictus, ſeu arte repellens.
Credo equidem (nec vana fides deludit amicum)
Te fore præclarum nomen labentibus annis.
Spem certam dedit inſigni ſpectata duello
Virtus, & ſummis tua mens aptiſſima rebus.
I modo, carpe viam, ſubdat calcaria ſanguis.
Inclytus ipſe parens & avunculus incitet ingens,
Illuſtres animæ, queîs noſtra Daventria fulcris
Jamdudum gaudet, nec priſcis invidet annis,
Hos ſequere & pulchris patriam fer ad æthera factis.

AD

AD
JOH. JAC. WISSENBACHIUM

In Academia Friſia Anteceſſorem, quum legitimam illi diſputationem dedicaret.

INgens Juſtitiæ antiſtes, quem matre cadentem
  Magna Deûm ſoboles, inviolata Themis
Excepit fovitque ſinu, quem nectare ſacro
  Et tenera æternis imbuit ora cibis,
Ac poſtquam pulchro formavit pectus honeſto
  Attilium Friſiis juſſit adeſſe ſuis;
Accipe devotæ certiſſima pignora mentis
  Et de non parca munera parva manu.
Munera parva fero, vellem majora dediſſe,
  Impediit cupidum res nimis arcta domi.
Aude, heros, contemnere opes, nec pondere dona
  Metiri. ſalſa ſæpe litare mola
Permiſère piis ſuperi, cum thure negarent.
  Magnanimis dignum te quoque finge Diis.

AD
STUDIOSOS

Commilitones.

AStrææ devota manus, qui gurgite vaſto
Per varios caſus & mille incommoda fidum
Tenditis ad portum, ſedes ubi Diva beatas

Oſtendit, certaſque parat victoria palmas,
Vos mihi præcipuè fortunatique laborum
Egregiique animi, queis Wiſſenbachius unus
Incertis cautus placuit Palinurus in undis,
Et cæcæ Cynoſura viæ: qui ſæpe notatos
Infames ſcopulos & ſaxa latentia monſtret.
Ductorem hunc, cui ſana ſedet ſententia menti,
Fortiter inſequere, & quamvis non paſſibus æquis,
Attamen inſequere & veſtigia ſemper adora.
Arduus eſt callis, fateor, qui ducit ad arcem,
Sed dic quæ molli deprenſa ſcientia lecto?
Audendum eſt aliquid: ſudoribus omnia vendunt
Dî nobis; longè pigros ab honoribus arcent.
Sed cape quem dixi comitem, ne devius erres,
Neve gradu titubes; quid diſtent æra lupinis
Optimus auctor erit. nimium feliciter idem
Intima legiferæ pandet penetralia Divæ.

AD JUVENEM SALANUM,

Quum ad ſummum juriſprudentiæ gradum eveheretur.

O Multum ante alios mihi fortunate ſodales,
Durum iter emenſus ſacri faſtigia montis
Victor ſumma tenes, atque alta deſpicis arce
Nos, nigrum campis agmen, mediiſque relictos
Fluctibus, & magnâ portum ambitione petentes.

Non

Non ſecus ac ſponſum quando de millibus unum
Virgo ſuperba legit, ſtat cætera turba procorum
Invida fortunæ ſocii, ferit irrita pectus,
Accuſat ſuperos, reſonat clamoribus æther,
Ille ſuam placidè premit & circum oſcula pendet.
Verùm, quando ſuo nunc turgent carbaſa vento,
Urge fortunam, præclaris ſplendide factis,
Et poſtquam maturus honos reſpexerit olim,
Reſpice turbatam patriam, cauſamque bonorum
Aſſere conſtanter, vitiorum acerrimus hoſtis.
Præiit exemplo genitor: ne defuge tantum
Auctorem fili, nec recto tramite magna
Nomina deflectant, quorum poſſedit honoris
Sacra fames animos & amor ſceleratus habendi.
Hi vendunt auro patriam, quam ſanguine noſtri
Majores peperêre ſuo: per faſque nefaſque
Hi præfecturas rapiunt, atque omnia miſcent,
Tantum ut pro lubitu miſeris dominentur Achivis.
Hinc illæ lacrymæ, quæque uſſit maxima noſtras
Tempeſtas urbes. Dî turbatoribus iſtis.
Aſt utinam tandem Saliarum triga ſororum
Depoſitis odiis ſancto coaleſcat amore,
Et paribus commune bonum non propria lucra
Procuret votis; atque ambitione fugata
Nummorumque ſiti redeant pietaſque fideſque,
Priſcus amor patriæ, laudumque probata cupido,
Queîs quondam ſtetit & famam ſuper aſtra locavit.

APPLAUSUS
AD
ALEXANDRUM CUPIUM
Guil. Fil.

Quum duplicem in jurisprudentiæ campo palmam retuliſſet.

DEgeneres animos timor arguit, inclyte Cupi:
Tu qua ſtirpe ſatus generoſo pectore prodis,
Doctorum audacter calcans veſtigia fratrum
Nec factis nec laude minor, gentemque decoram
Ipſe novis titulis auges atque inſeris æthræ.
Ecce iterum, florent dum tempora fronde recenti,
Victor ab hoſte redis, ſpoliiſque inſignis opimis
Altera legifero ſuſpendis dona Quirino.
Tertia palma manet, quæ meta ſuprema laborum.
I decus, i, noſtrum, pulcro dum pulvere ſordes,
Atque operi propera Colophonem adjungere ſacro.
Fallor an ipſa mihi jamdudum perſonat aures
Ingeminantis Io populi vox, atque ſtrepentum
Turba pedum & magna ferventia compita pompa?
Tu, Cupi, ante alios triplici redimite corona
Primus ades, curruque ſedens excelſus Honoris,
Clarus ubi genitor lateri ſublimis adhæret,
Inter plaudentum cœtus & fauſta precantum
Fatidicæ templum Themidos feliciter intras.

I N

IN PATERAM
Ab ampliſſimi Conſulis
ÆGIDII NILANDI
Hæredibus reip. Daventrienſi donatam.

Cum fratre Harmodius quando recreavit Athenas,
Et Piſiſtratidum depulit arce genus,
Has memor æternas tanto pro munere grates
Excuſſo ſolvit Attica priſca jugo;
Ut quoties lætos convivia feſta vocarent,
Riderentque unctis florea ſerta comis,
Ante omnes pateris Bacchus majoribus hauſtus
Horum præferret nomina clara virûm.
Hoc, patriæ patres, exemplo, ſolvere frontem
Inter tot curas otia quando ſinent,
Præcipuè occurrat pretioſi muneris auctor,
Nilandoque ſuo vina dicate ſcypho;
Nilando, cujus Sapientia pectore ſedem
Fixerat & Pietas & ſine labe Fides.
Qui quum multiplici patriam feliciter urbem
Virtute ornaſſet, dum ſua fata dabant,
Immenſi hæredes monumentum & pignus amoris
Hæc poſuêre ſacris aurea vaſa locis.
Sed quid opus? fulvo monumentum pulcrius auro
Facta vivi noſtro corde dicata manent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

IN LANCES
à
SIBERTO BOCHOLDO

Senatore Daventrienſi & ſæpius ærarii præfecto curiæ patriæ relictas.

EXemplum canæ Fidei, priſcique Catonis,
Æmulus & rigidi vivida imago boni,
Unicus ærarI vindex, cuſtoſque ſeverus
Ne bona privatis publica præda forent,
Ut poſt fata etiam fiſco Bocholdus adeſſet,
Has illi lances nobile liquit opus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

JOHANNIS HOGERSII POEMATA JUVENILIA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

THEOPHILUS HOGERSIUS

Lectori benevolo S.

QUum excuſſiſſem ſchedas meas, hasque inconditas ſilvas typis mandaſſem, inciderunt in manus fratris libelli: inter quos pauca reperi poëmata; alia quidem elaborata, alia autem imperfecta & numeris ſuis trunca. Quæ prælo quoque ſubjicere animus tulit: tum ut noſtris ea corollarii loco adjungerem, tum ut fratris memoriam quantum poſſem propagarem. Lacunas in illis quaſdam explevi, majores, ut erant, reliqui. Hoc ut animi fraterni argumentum accipias & æqui bonique conſulas rogo. Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

JOHANNIS HOGERSII POEMATA.

CYGNEUM SIMEONIS CARMEN.

JAm nunc, ſumme Deus, jam triſtia linquere ſervo
Caſtra ſeni, longa militiaque latus
Defeſſum tremulumque toro da ſternere molli,
Et lætum ſociis ingeminare vale.
Vidi etenim (ſolitus qua ſpe mala fallere cuncta,
Cauſaque vivendi quæ ſuper una fuit)
Vidi, qui tecum de noſtra pacta ſalute
Antè iniit veheret quam levis aſtra polus.
Tempore condicto qui ſe deſcendit ut illis
Impendat, ſibi quos legerat in populum.
Vidi, qui, patriam ſimul ac placaverit iram
Et nodos lethi ruperit ipſe graves,
Extollet ſuper aſtra caput, mundoque rebelli
Ignaroque Dei (proh dolor!) atque ſui
Donabit ſanam mentem, moreſque decoros
Ponet, ut agnoſcat ſeque ſuumque Deum.
Hac vixiſſe tenus juvat. aſt jam ſuſcipe quæſo
Me, pater, & lætum ſede repone tuâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

AD JOHANNEM COCCEIUM

Summum Theologum in Academia Leidenſi.

ACcipe, Coccei, multam, præclare, ſalutem,
Coccei, Batavæ gloria prima ſcholæ.
Cujus ab ore, (juvat, juvat ô meminiſſe) pependi,
Et doctas voces ſæpius aure bibi.
Hoc ſummum nobis decus eſt, hæc una voluptas
Inter diſcipulos me numerare tuos.
At tibi quas ſolvam tali pro munere grates?
Præmia quæve tuo digna labore feram?
Mens mihi prompta ſatis, nec iners pauperque voluntas,
Sed minimè noſtræ ſuſpicer illud opis.
Haud opis id noſtræ. verum, quod poſſumus unum,
Agnoſcam laudes & celebrabo tuas.
Agnoviſſe Deo ſatis eſt. age, nobilis heros
Te magno dignum finge paremque Deo.
Ergo prius deforme chaos terramque polumque
Miſcebit, rerum ſemina bella gerent,
Phœbus in æternàm claudet ſua lumina noctem,
Nec cælum ſtellas, nec vehet amnis aquas,
Quam tua magna cadant noſtro de pectore facta
Virtuteſque neget dicere lingua tuas.

DE EJUSDEM SCRIPTIS
cedro dignis.

HUmanis quiſquis rebus caput altius effers,
Et quæ te ducat quæris ad aſtra viam:
Quem flagrans incendit amor cognoſcere verum
Sollicitoque idem falſa timore fugis;
Huc ades & doctas Coccei perlege chartas,
Cognita cui ſummi ſacra verenda Dei,
Quæque tuo, Solymæ, grandi ſignata cothurno;
Quæque, potens linguâ Græcia, melle tuo.
Ille nec abſtruſis divinam vocibus artem
Involvit, quales inſcia turba ſtupet:
Quarum ſi penitus ſenſum ſcruteris, inanes
Fumos & caſſas repperis eſſe nuces.
Nec ſecreta poli modulo rationis egenæ
Metitur, quæ mens nulla creata capit.
Nec tumido inflatus faſtu, ſe numine plenum
Atque illo jactat corda movente loqui:
Terrigenæque timens jurare in verba magiſtri
Auſonii ſpernit nomina vana Dei.
Sola docet, quæ ſacra docet nos pagina, cujus
Omnibus eſt ſanis indubitata fides.
Demere non illi nec ſuſtinet addere quicquam;
Hæc una in tenebris, hæc Cynoſura placet.
Credere quid dubites quæ ſancta oracula veri
Fallereque ignari perſpicis eſſe Dei?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

AD
GOSVINUM vel THEOPHILUM HOGERSIUM
JC. Hiſt. & Eloqu. Profeſſorem,
Fratrem unicum,

Quum diſputationem illi ſuam de Jeſu Chriſto Servatore Theologiæ Doctor creandus dedicaret.

O Præſtans Goſvine, mihi cariſſime frater,
Deliciæque, animæ dimidiumque meæ;
Quem natura mihi, ſtudia & communia jungunt,
Cujus velle meo nolleque ſemper idem;
Accipe quas teneris chartas conamur in annis,
Tollere dum ſeſe mens mea tentat humo.
Vellem (fas & erat, fateor) majora dediſſe
Munera, & inſcribi nomine digna tuo:
Eſt mihi cor largum nec iners pauperque voluntas;
Deſtituit cupidum res nimis arcta domi.
Tu dona, ut ſolitus, tamen hæc quoque fronte ſerena
Accipe, & ingentis pignus amoris habe:
Si mihi divinum vires ac auxerit annos,
Quo regimur cuncti, Numen, opima dabo.

GRA-

GRATULATIO AD EUNDEM

Feliciſſime nuptias ineuntem cum

VREDA QUADACHERA.

FOrtunam quiſquis cæli ſuſtollit ad aſtra,
Et cæco jactat numine cuncta regi;
Quod ſua profundat paſſim diſcrimine nullo
Munera, virtuti det meritiſque nihil:
Te videat, Goſvine, mihi cariſſime frater,
Delitiæque, animæ dimidiumque meæ.
Quis virtutis honos, quam præmia certa laborum
In te clara Deus jam documenta dedit.
In te, cui pietas dia & ſapientia cordi,
Et veterum nava volvere ſcripta manu;
Incoctum cujus generoſo pectus honeſto
Nullis defeſſum caſibus alta petit.
Pervia cuncta tibi: veſanas æquoris iras,
Frigoraque ac æſtus fallis amore boni;
Perque orco valles cæloque cacumina montis
Æqua regis curſum non trepidante gradu.
Tandem poſt varios terræque mariſque labores
Exhauſtos dulcis dignaque parta quies.
Auguſta extemplo doctorum pulpita ſcandis,
Et juvenum juvenis pendet ab ore chorus.
Attonitis narras ducibus quæ geſta Latinis,
Quoſque dedit grandi Tullius ore ſonos.
Dum ſemel interea Sol circumvolvitur annum,
Fida tibi conſors ducitur, ecce, tori.
Ducitur, ecce, puellarum, clariſſime ſponſe,
(O tanto melior!) floſque decuſque tibi:
Quæ probitate ſimul formaque & acumine mentis
Æquævas inter ſuſtulit alta caput;

Cujus

Cujus jam teneris animus maturus in annis
Ventura ſpondet maxima quæque die.
Virtutem ſic ambit honos, ſic læta voluptas;
Ampla ſatis merces ſit licet ipſa ſibi.
Gaude, ſponſe, tua, juvenum celeberrime, ſponſa,
Quæ pulcra faciat te cito prole patrem.
Gaude, ſponſa, tuo, fruitorque beata marito,
Ille tuum penna nomen ad aſtra ferat.
Vivite felices, jucundaque tempora lucis,
Nec jucunda minus tempora noctis eant.

Paſtor eccleſiæ Jeſu Chriſti,

SPONSUS AD SPONSAM SUAM.

AD Chriſtum dum certo ſuam deducere ſponſam,
Duceris à Chriſto, dulcis Aleìda, mihi.
Dulcis Aleîda, thymo multum mihi dulcior Hyblæ,
Fel quoque dulce tuum, te ſine dulce nihil.

MARTINO BROECKIO

Amico dulciſſimo.

ACcipe Groninga multam, Martine, ſalutem,
Mittere quam ſuavis me tibi cogit amor.
Ille amor, amborum firmo qui fœdere junxit
Pectora, non ulla diſſoluënda die.

Jam

Jam tum cum ferulis juſſi ſupponere dextras,
Cordibus in noſtris ſemen amoris erat:
Tempore qui crevit, Bataviſque eſt ſummus Athenis
Factus; nec, quo jam progrediatur, habet.
Communes luctus, communia gaudia nobis;
Et velle & pariter nolle duobus idem.
Hinc mihi triſte tuum nimis & crudele videri
Diſcidium; nihil heîc te ſine dulce mihi.
Quando erit ille dies, dextræ conjungere dextram
Quum dabitur, ſolito colloquioque frui?
Quando tuos avida peramœnos aure lepores,
Feſtivosque ſales innocuoſque bibam?
Tu quoque (cur dubitem?) noſtri non immemor unquam
Jam reditum fingis mente voveſque meum:
Et quem corporeo non fas eſt lumine cerni,
Pectoris hunc oculis nocte dieque vides.
Omnia qui ſolus toto moderatur in orbe,
Ille meis votis annuat, ille tuis.

ACCLAMATIO AD HENRICUM MEILINGIUM Med. ſtud.

De circuitu ſanguinis diſputantem.

MActe iſta virtute, domûs ſpes ampla paternæ,
Meilingi, Batavæ gloria magna ſcholæ,
Qui veterum callens quicquid docuere ſophorum
Atria, quoſque dedit Tullius ore ſonos,

Jam

Jam duce Lindano, quo non præſtantior alter,
Arte ſenis Coi pectora docta reples.
Utque queas ægris meliùs ſuccurrere, cæcas
Morborum ſedes diſcere cura tibi eſt.
Exploras varios humana in carne receſſus,
Et quas ſanguis eat, quas redeatque vias.
Scilicet eſt aliquid, diverſa invadere bello
Si quis caſtra paret, viſere caſtra prius.
Eſt aliquid cunctas inimici noſſe latebras,
Infeſtique ſitus ingeniumque ſoli.
Eja age, ſupremum felix ſuperato laborem,
Bellaque, jamdudum quæ meditaris, ini,
Quo cæſis, miſero regnant quæ in corpore, monſtris
Fama tuum nomen celſa per aſtra ferat.
Sternere non magna eſt florentes ære catervas
Gloria; ſed morbos qui necat, ille vir eſt.

AD DUOS ÆQUALES, illum in JURISPRUDENTIÆ, *hunc Theologiæ campo velitantem.*

O Sapiens juvenis, non ſpe lactaris inani,
At tibi jure places, qui nunc in bella laceſſis
Queîs curæ Latias ſcire atque evolvere leges.
Quippe ſtrophas Logicâ vafras latere undique tecto
Et cæcos exire dolos edoctus arena.
Ergo ita compoſitum mihi fas ſpondere, ſecundis
Præſidis auſpiciis, te mox ſubmittere cunctos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Arma coacturum victoſque excedere palma?
Fallor an ipſe mihi ſpoliis ornatus opimis
Ante oculos jam victor ades, lætæque catervæ
Plaudentum juvenum vox hæc mihi fertur ad aures:
Macte, his, ô juvenis! jam duplex palma, trophæis;
Macte, ſuum quem jam cultorem agnoſcit Apollo,
Diva Themiſque ſuum. felix perge & pede fauſto
(Sic mentemque animumque tuum quæ ſola peruſſit
Æternum victura canat te fama per orbem)
Omne per hæc quibus inſiſtis veſtigia vitæ
Curre tuæ ſpatium, neu unquam deſere callem.

QUam cupit in votum Tiphys ſubducere littus,
Non defrenato ſaxoſa per æquora curſu,
Incertaque ſinit ſpatiari lege carinam;
At duce tum cælo regit hanc, & ab æthere pendens
Signa per immenſum ſequitur ducentia pontum;
Tum ſenis indicio, variis quem ſæpe procellis
Exploravit hyems, tum pyxidis utitur arte.
Haud ſecus hæreſeon propter Scyllaſque Charybdeſque
Et brevia ac Syrteis currens, medioſque per hoſtes
Alta ſecans certas ratis, optime, flectis habenas.
Sidere nam regeris Bileami mente notato,
Sidere, quo non in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Grajis Helice ſervanda magiſtris.
Tum ſenior Nautes, ſummi Sapientia Patris
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte,
Aſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Aſſidet & doctis format tua pectora dictis.
Norma ſacer Liber eſt, Verbi veriſſima verba.
Ergo tibi nova jam facies inopinave ſurgat,
Et Chaos & Phlegeton orbiſque orcuſque minentur,
Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito
Quo ſacer implebit ſinubus tua carbaſa totis
Spiritus; his auris animam te credere fas eſt.
Sic tandem optata potieris victor arenâ.

IN NUPTIAS HENRICI CNOPII ET SUSANNÆ BERDENIÆ.

SCilicet hic deerat Nodus * cariſſime Cnopi,
Cui ſacer in miti pectore candor ineſt;
Ut thalami tandem vacui conſorte miſerta
Vincula conjugii necteret alma Venus.
Ergo tribus nodis ternos non illa colores
Jungit. ſancta magis hanc Dea linquit opem.
Pronuba ſed dederat quæ vincla jugalia Juno,
Cornigeræ genitrix tradidit iſta Deæ.
Cnopius his, ait, & conſtringi digna Suſanna,
Par bene compoſitum, ne Dea necte moras.
Candida continuò reſidet Concordia lecto,
Atque tibi ſponſam, candide ſponſe, ligat.
Sponſam, quæ claro cum ducat ſtemmate gentem
Exſuperat morum nobilitate genus;
Sponſam, cujus amor tantum tibi creſcit in horas,
Quàm ſe vere novo ſubjicit alta larix,

Con-

* *Nodus Belgis cnoop.*

Concordes igitur ſpatium decurrite vitæ:
Concordes Pietas trina ſuperna reget.

Carmina aliquot deformata primâ manu.

HYMNUS
Ad
D. N. J. CHRISTUM.

SAlve cara Dei ſoboles, ſpes unica noſtrûm,
Salve heros: atras lugens cui terra tenebras
Induerat, purum velarant ſidera vultum;
Quum de viventum migrares impiger oris,
Ut defectorem rurſum in tua regna referres
Æternoque tibi ſociares fœdere mundum.
Mundum, quem vinclis Satanas & carcere duro
Frænarat, dederatque modis immania miris
Verbera, fœdato ſua lumina corpore paſcens.
At tu jus litemque moves, ultroque tyranni
Servitio, læva defendens vulnera, dextram
Injicis, & meus hic populus, meus, aſſeris, hic eſt:
Neve canis rabido ſævus nos læderet ore,
Opponis proprium corpus (mirabile dictu;)
Nec noſtræ vitam dubitas impendere vitæ.
Attamen ipſe tuæ morti, Deus alme, ſuperſtes
Vivis in æternum, nec quam mordere dediſti
Das carnem ſorbere cani; ſed protinus ejus
Faucibus ereptam ductu meliore refingis.
Sic victor redis, & ſpoliis indutus opimis
Latronem manibus ducis poſt terga revinctis,
Nec ſolito totum perfundis lumine mundum.
Extemplo viridis tibi rident æquora ponti;
Nubila diffugiunt, cæloque reverſus aperto

Sol vehit aſtrorumque chorus, dominumque patremque
Gratantur reducem; lugubri ſplendida veſte
Depoſita niveos tellus tibi ſumit amictus.
Nos quoque, noſter amor, vinclis quos ſolvere tanti
Duxiſti, dominum læti te agnoſcimus omnes,
(Jam pudet alterius) tibi grata reſolvimus ora;
Te ſolum quocunque trahes retraheſque ſequemur.

In DEUM OPT. MAX. mundi conditorem.

QUi mundum hunc cernit qui cæli ſplendida templa
Quis niſi mentis inops deneget eſſe Deum?
Omnia plena Dei. magni formica laboris
Corpore in exiguo vivere numen ait.
Hæc circumfuſo quæ cingitur æthere tellus
Non propriis ſed ſtat viribus illa Dei.
Ipſe Deus dextramque operi roburque miniſtrat,
Quo ſine ne minimo tempore ſtare poteſt.
Adſpice diverſis diſtinctos floribus agros,
Quis cæco caſu naſcier illa putet?
Adſpice flammigero quæ Phœbus ab æthere tela
Dejicit in gremium, dædala terra, tuum;
Adſpice, quam varium diſtinguat ſidus Olympum;
Quis neget artifici cuncta creata manu?
Quin age, quin proprium, mortalis, diſcito corpus,
Immo animam diſcas perſpiciaſque tuam.
Cernis ut impediant alternis orbibus orbes
Qui totum nervi corpus obire ſolent:

Illos

Illos quis cæca credat ſtatione locatos
Fortuna? caſum quis putet eſſe ducem?
Eſt certe, eſt cunctis qui dat Deus eſſe locumque,
Omnia qui certo fine modoque regit.
Immo tibi majus divinum germen adumbrat
Numinis exemplum mens animuſque tuus.
Ille quidem ſcelerum reſperſus labe pudenda
Non ulli ſuavis nec valet eſſe bonus:
Attamen hic ſummi veſtigia vera ſuperſunt
Patris; &, umbra licet, ſunt ſimulacra boni.
Mens hominem deceat quid non deceatque docebit.
Mens ſua quoſque reos innocuoſque docet.
Criminis affinem damnat, miroque pavore
Obruit, & vitam non ſinit eſſe bonam.
Illa eadem, ſceleris qui purus & integer omnis
Culpæ, dat larga gaudia vera manu:
Et gaudere jubet, jubet exſpectare coronam;
Promittit vitæ præmia magna piæ.
Quis vero ſontem digno multabit honore?
Præmia quis ſancto pectore digna dabit?
Ille unus, rerum ille auctor. * * *.

IN CARMEN
P. TERENTII
Varronis Atacini:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo. credimus eſſe Deos?

MArmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo. quis neget eſſe Deum?

D Eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Eſſe Deum fandi memorem pariterque nefandi,
Olim qui cunctis præmia digna dabit:
Qui ſanctas leges & juſſa verenda tonantis
Servarunt, plena gaudia ſumma manu;
Qui ſeſe vitiis ſcelerata mente profanis
Merſerunt, plena triſtia cuncta manu,
I nunc, felices dic qui cæleſtia juſſa
Spernunt, quos tacta mundus adorat humo:
Dic miſeros, quotquot ſupremum numen adorant,
Sors quorum in mundo verbera, vincla, cruces.

P E-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

PETRI DANIELIS HUETII V. CL.

FUNUS CLAUDII SALMASII V. ILL.

ET ITER SUECICUM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

THEOPHILUS HOGERSIUS

Lectori benevolo S.

QUum abhinc decennium diſcederem Cadomo (ubi aliquot menſes in Bocharti, Grentemenilii, Huetii aliorumque maximorum, quibus hæc urbs præ reliquis Galliæ civitatibus abundat, ingeniorum contubernio jucundiſſime traduxeram) Huetius mihi commendavit hoc ſuum Cl. Salmaſii funus, illiusque in patriam reverſo edendi copiam fecit. Sed longinquo deinde in diverſas regiones itinere inſtituto, diu hoc inter alias ſchedas abſconditum jacuit. Nunc autem ſcrinia mea perſcrutanti quum ſeſe iterum obtuliſſet, occaſionem idoneam me nactum eſſe exiſtimans & promiſſa præſtandi & illo veluti faſtigio hoc noſtrum opuſculum, ſeu potius hos diſturbatos parietes exornandi, ſimul publicare conſtitui. Quod conſilium ubi Gronovio noſtro aperuiſſem, ille, pro ſuo rem literariam juvandi incomparabili ſtudio, elegans ejuſdem de itinere ſuo Suecico ineditum carmen mecum communicavit. Quod pariter vulgaſſe cum bona Clariſſimi Huetii venia me ſpero. Te autem doctiſſimi viri, tùmque aliis politiſſimis libris, tùm D. Origenis operibus nuper in lucem miſſis per univerſum orbem literatum celeberrimi has etiam poëticas curas inſpexiſſe, non, puto, pœnitebit. Vale & ſtudiis noſtris fave.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

P. D. HUETII

Funus

CLAUDII SALMASII,

CONCLAMATIO.

Claudi, Claudi,
Reſpice, reſpice:
Huc extremum,
Huc Salmaſi
Lumina flecte:
Nam quis te novus
Intus habet dolor?
Nam quorſum animus
Aufugit tibi?
Num te Claudi
Mors gravis occupat?
Tune æterno
Compoſuiſti
Lumina ſomno?
Heu heu ſocii,
Claudius occidit;
Non audit meas
Ille querelas:
At vos ſocii
Porgite balſama,
Et Salmaſi
Tandem extremo
Ungite frigens
Munere corpus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

CONLOCATIO.

TAmetſi properas, Viator, adſta:
Quod ſub veſtibulo hoc jacet cadaver,
Salmaſi fuit. hinc abi, Viator,
Ne eſſes neſcius, hiſce te volebam.

AD LEYDAM URBEM.

O Urbes inter celeberrima Leyda Batavas,
Deſine Phœbeâ victricia tempora lauro
Cingere, & Auguſtos jam deſine tollere vultus:
Claudius heu, rerum columenque decuſque
tuarum,
Claudius ecce jacet fato præreptus iniquo.
Hoc ſtante ingenti tua ſeſe Academia plauſu
Extollens, alias inter longe altior ibat;
Occidit is poſtquam, declivem pondere vultum
Mœſta gerens, magnum ſtetit heu confeſſa do-
lorem.
Hanc nos præteritis quondam ſuſpeximus annis,
(Et meminiſſe juvat) tali cum ſidere læta
Doctrinâ illuſtres cultuque referret Athenas
Egregio, innumeroſque ſuperba foveret alu-
mnos;
Quod poſtquam hanc blanda privatam luce reli-
quit,
Scilicet omnis honos ſtudiorum & gloria ceſſit.

AD MORTEM.

O Mors avarâ falce cuncta demetens,
Miniſtra fati, Ditis horribiles domos

O quæ

O quæ frequentas civibus, poſtquam neci
Potuiſti acerbæ Claudium immitis dare,
Quidni ſolutâ protinus totum moves
Compage mundum? conditus quando nigris
Phœbus tenebris denegat terræ jubar,
Et Luna fratris aureos vultus tegit,
Exanguis hominum pectora invadit timor,
Illi imminere ſcilicet mundo putant
Commune fatum: Claudius quando eſt truci
Letho peremptus ſæculi lumen ſui,
Quidni hoc tenebras funus inducat graves,
Orbemque totum nocte funeſtâ premat?
Mors cuncta miſce funditus, cælum ruat,
Terræ fatiſcant, ſidera è Cælo cadant,
Violenta paſſim ſæviat terris lues,
Haud triſte lethum deprecor, poſtquam neci
Potuiſti acerbæ Claudium immitis dare.

AD FAMAM.

DIva laudis, & perennis proma conda gloriæ,
Diva victrix Mortis atræ, Diva victrix Temporis,
Ille qui virûm per ora (Diva ſic tu juſſeras)
Is per ora qui volabat, magnus ille Claudius,
Ille quem tu perſonante prædicabas buccina,
Morte crudeli peremptus nuper eheu concidit:
Hunc potenter à feroci Diva Morte vindica:
Hic caducam morte vitam languidamque perdidit,
Huic perennem pro caducâ Diva vitam reddito.

AD MANES SALMASII.

SI quis amor rerum poſt triſtia funera reſtat,
Et manes imâ ſequitur tellure repoſtos,

Pallida quem totis Lethe non eluat undis ;
O anima , ô dubiis vitæ defuncta periclis ,
Te non ulla quidem cepêre oblivia noſtri.
Ex quo etenim me ſors Leidenſibus appulit oris,
Atque tuam potui Salmaſi tangere dextram ,
Et coram blandas audire ac reddere voces ,
Scilicet ex illo noſtri pars magna fuiſti ,
Ipſe tui nonnulla fui , concordia poſtquam
Pectora junxit amor. Memini me febre pereſum,
Atque iſtic longi perpeſſum incommoda morbi
Jam tumulo quæri : non noſtri ſedula nutrix ,
Non noſtri curam ſoror officioſa gerebat :
Continuo tu languentem miſeratus amicum
Auxilium afflictis rebus non molle tuliſti.
Ergo Salmaſi , quæ nos , dum vita manebat ,
Junxit amicitia , hanc etiam poſt funera ſervas ;
Me vero quæcunque dehinc fortuna ſequatur ,
Non noſtro illa tuum pellet de pectore nomen.

CONVOCATIO.

Lecti juvenes ,
Atque virorum
Quidquid ubique eſt,
Quorum ſacro
Pectora Phœbus
Contigit igni.
Eheu Claudius ,
Claudius ille ,
Heu crudelibus
Occubat umbris.
Huc huc gemitus ,
Huc ſuſpiria ,
Et languenti
Mittite triſtes
Pectore queſtus :

Huc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Huc huc lacrymas,
Huc huc mœſtos
Uda profundant
Lumina fletus:
Ipſe ego pullo
Tectus amictu
Spargam tumulum
Manibus plenis,
Et humum pingam
Vernis floribus,
Tum funereum
Hoc inſcribam
Carmine ſaxum:

CLAUDITUR HIC PARVA MAGNUS
SALMASIUS URNA,
ILLE PRIUS TOTUM SUB PECTORE
CLAUSERAT ORBEM.

MONODIA.

POſtquam, Salmaſi, longævam in commoda vitam
Publica conſumſti, te Libitina rapit:
Te Libitina rapit, poſtquam te magnus Apollo
Imperium bifidi juſſit habere jugi.
Poſtquam ego ſic longæ conſumpſero tempora vitæ,
Sit mihi vita gravis, ſit mihi dulce mori.

CONSECRATIO, ad Poëtas.

Vates parcite fletibus.

CUr molles lacrymas, cur gemitus graves,
Aut cur carmina triſtibus

Decantata modis funditis anxii?
Jam nunc ſat lacrymis datum eſt;
Huc huc pro lacrymis purpureas roſas,
Huc plenis manibus date
Pallentes violas albaque lilia;
Huc ſacris Thymiamata
Exhalent foculis, his redolentia
Aris thura profundite.
Divus ſacra ſibi munera Claudius
Et libamina poſtulat;
Nam non ille quidem Tartareos lacus,
Non hic Elyſium tenet;
Sed poſtquam fragilem corporis exuit
Molem, huic perpetuas domos
In ſummo attribuit Juppiter æthere;
Olli nectareus liquor
Poſthac ora meris proluet hauſtibus
Quem fundet Phrygius puer;
Et totum liquidis Ambroſiæ Venus
Hunc profundet odoribus;
Formoſæ ſoboles docta Coronidis,
Multarum Pater artium,
Fratres Tyndaridæ & maximus Hercules,
Illi ſe comites dabunt,
Quos virtutis amor vexit ad æthera.
O quiſquis ſtudiis vacas,
Et mentem ingenuis artibus excolis,
Hic Muſis præerit Deus
Intonſo ſocius junctus Apollini;
His jam ſe facilem dabit,
Illum qui precibus ſupplicibus petent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

IN OBITUM CL. SALMASII

Epigramma, Stylo Enniano.

Vitaï finem poſtquam eſt Salmaſius aptus,
Omnis homo mœſtis hunc decorat lacrymis.
Scilicet id faciunt quod poſſunt, ſed queat olli
Ningulu' pro ſcriptis reddere opræpretium.

IN IMAGINEM CHRISTINÆ

Suecorum reginæ Epigramma.

In cujus anticâ parte Reginæ ipſius vultus, in poſticâ Solis Effigies expreſſa eſt.

PHœbus Chriſtinæ pictos in imagine vultus
Ut vidit, tales miſit ab ore ſonos:
Chriſtinam quiſquis ſe pingere poſſe putavit,
Pingere ſe mea ſic lumina poſſe putet.

ITER SUECICUM
ad
JOHANNEM CAPELANUM
MDCLXII.

DUlcia nobilibus dum dividis otia curis,
Claraque magnanimæ committis facta Puellæ
Poſtera manſuris quondam per ſecula chartis,
Et numeris divinum æquas, Capelane, Maronem;
Hic ego deductum meditor tibi dicere carmen,
Et longam ſermone viam narrare pedeſtri;
Hinc porro majora parans, & verſibus olim
Inde aliis, aliiſque tuos dicturus honores.
Contractam facilis nunc ergo exporrige frontem,
Si magnis animum fas eſt avertere rebus;
Hyberniſque procul ſubjecta Trionibus arva
Decurre, & mecum caſus evolve marinos.
Queis me olim primo pubeſcens flore juventus
Jactatum implicuit, propius ſpectare volentem
Didita Chriſtinæ variis miracula terris:
Chriſtinæ, quæ tum ſceptro ſpectabilis aureo
Ibat, & attentis dicebat jura Suëcis;
At nunc ſceptra ſuper, fragileſque evecta coronas
Ardua magnorum ſuperat faſtigia Regum.

Dive. Egreſſum Cadomo primum me Diva recepit.
Honfleur. Honflorium tendo hinc; ægrum lectica ferebat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Lecticam manni, quorum hic pravo pede fultus
Dum titubat, mediis effuſum exponit arenis.
Tum pranſi lembo ferimur, ſerique ſubimus
Urbem Franciſci Regis de nomine dictam. *Le Havre.*
Hic exſpectantes dum Pontus & aura faverent
Otia conſumunt miſeros, nec tædia poſſunt
Aut Arx, aut validi ſpectando fallere muri.
Undecima tandem panduntur carbaſa luce.
Ridentur comites, quos nauſea crebra fatigat:
Non ego; jejuni nam vix depellere ventris
Salſa carne famem poſſum, vel pane recocto.
Vicina interea nobis dum ripa propinquat
Caletum, geminas Anglorum è littore puppes
Proſpicimus plenis ad nos contendere velis.
Obſtupuit navis rector de gente Batava;
Arma huc, arma, viri, inclamat, tormenta parentur,
Vela legant nautæ, belli det buccina ſignum.
O quam me tantis ſtolidum objeciſſe periclis
Pœnituit! ſcabrum accingor rubigine ferrum,
Spem ſimulans, tacitum condens ſub corde dolorem.
Ut propius venere Angli, de puppe Magiſter
Compellat noſtros, Unde, & quo? cuncta petenti
Ordine rettulimus: converſa is vela retorſit.
Navim quarta dies Zelandis appulit oris:
Præbuit optatos venienti Veria portus. *Der Vere.*
Hinc Middelburgum rapimur; ſed poſtera rurſus
Nos pelago lux commiſit: tua mænia læti
Dordrectum intramus, quibus infeſtos procul hoſtes
Et Moſa, & Vahalis revolutis fluctibus arcent.
Æneus ad Roteram mihi poſt ſpectatur Eraſmus. *Roterdam.*
Tum Delphi, & Delphis monumenta inſignia gentis

Naſſaviæ: Tectum Leydæ dein præbuit hoſpes.
Grata ſequens multum nobis aurora virorum
Primos noſſe dedit, Phœbi qui ſacra frequentant,
Heinſiaden, & Salmaſium, duo maxima Pindi
Lumina: tum Medicum mihi cernitur Amphitheatrum,
Bibliotheca, Hortus peregrinis conſitus herbis,
Et quæ multa ſolet lentus ſpectare viator.
Viſitur hinc nobis prælorum Harlema repertrix,
Et Peluſiaco ſerratæ in littore claſſis.
Amſtelodamenſi demum ſuccedimus urbi.
Occurrunt læto teſtantes gaudia vultu
Unanimes ſocii, Bochartus, Voſſius, atque
Complures alii (tacitos quos Muſa relinquit)
Extremos una cupidi luſtrare Suecos.
Suave extra patriam veteris complexus amici.
Altera lux ſpectare dedit myſteria gentis
Judææ, ductor Judæus & ipſe Manaſſes.
Aſt adducta ſecans dirus præputia culter
Dum tenet attentum, & ſublati inſania ritus:
Ecce abaci, quo inferre pii cæleſtia Moſis
Scripta ſolent, ſummo extremum limbum pede tango
Inſcius: inſueto cuncti fremuere tumultu.
Diffugio veritus damnoſi vulnera cultri.
Inde Ultrajectum petimus; Schurmannia nobis
Anna ſalutatur, muliebris gloria ſexus.
Artis opus miror varium, quod mente ſagaci,
Aut manibus doctis Virgo ingenioſa paravit.
Hinc diſcedentes excepit paupere tecto,
Elſpeet. Et paleam feſſis Elſpettum præbuit hornam.
Ruſticaque ilignas onerarunt fercula lances.
Carpimus inde viam Suollæ ad mœnia, longos
Thomas à Kempis. Hic ubi Kempenſis ſancte traduxerat annos;
Nunc etiam extincti vivit quoque fama ſuperſtes.
Mox

Mox Hardenbergam ſera ſub nocte venimus:
Ridetur nobis veteri mos ductus ab ævo.
Quippe ubi deligitur revoluto tempore Conſul,
Barbati circa menſam ſtatuuntur acernam,
Hiſpidaque imponunt attenti menta Quirites:
Porrigitur ſeries barbarum deſuper ingens.
Beſtia, pes, mordax, ſueta inter creſcere ſordes
Ponitur in medio; tum cujus, numine Divum,
Barbam adiit, feſto huic gratantur murmure pa-
tres,
Atque celebratur ſubjecta per oppida Conſul.
Proxima Weſtphaliæ pergentibus arva tenentur:
Gens procera, aliis toto capite altior exſtat;
Ætnæis olim dicas de fratribus ortam.
Ingens huc peregre venientes excipit aula,
Ignis ubi in medio, circum capræque, boveſque,
Immundique ſues, & non ſine matribus agni;
Et Pater, & fuſi paſſim cum conjuge nati.
Si vitam hanc mortale genus regnante trahebat
Saturno, ut perhibent, placeant mihi ferrea ſæcla.
Hic ſteriles campi, atque humiles ingrata my-
ricas
Innumeris tellus fert dulcia pabula porcis.
Quos neque vel torrere veru, aut ferventibus
ollis
Incoquere, at ſummi ſuſpenſos fornice tecti
Acri ſiccatos fumo durare ſuëti,
Simplicibus totos gaudent imponere menſis.
Hinc procul attollit turritum Brema cacumen;
Erigimur ſtudio, claramque adipiſcimur urbem.
Continuo laſſus conſterni mando cubile:
Plumea ſubjecta eſt mihi culcitra, culcitra rurſus
Eſt injecta ſuper; nec longum tempus, & ingens
Prorumpit toto fuſus de corpore ſudor,
Nec potui dulces tali ſub tegmine ſomnos
Ducere: nox infeſta mihi prorſus fuit illa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Orta dies demum eſt nigræ dilecta catellæ:
Præcipiti ſed enim curſu dum currus arenis
Volvitur in planis, oblisit curva morantem
Hanc rota : ſed calido per noctem infoſſa fimeto,
Et ſaturata oleo, priſcum eſt indepta vigorem.
Zeven-closter. Hoſpitium nobis dein Septemclauſtra dederunt;
Virginibus quondam ſanctis florens domus; at nunc
Porticibus vacuis de multis quinque ſuperſunt,
Collapſæque ruunt ædes, ac limina Divum,
Poſtquam Lutherus nova ſacra his intulit oris.
Boxte-hude. Proh quæ Boxthudæ nos dein fortuna manebat!
Hic matrona potens, pulcrâ comitata puellâ,
Occurrit: miles formoſâ in virgine fixus
Uſque premit latus, & paſſim ſectatur euntem.
Hanc dum Bochartus priſca cum matre ſalutat,
Feſtiviſque avidas implet ſermonibus aures;
Incenſus miles, venaſque inflatus Iaccho,
Ut ſolitum, inſontem Bochartum ad prælia poſcit,
Et vix compoſito junxerunt fœdere dextras.
Orta luce vagum cymba prætervehor Albim,
Hamburgique alacris tandem veſtigia figo.
Hic picturatos in veſtimenta tapetas
Induitur populus; campoſque urbeſque videre
Inſtratis geſtari humeris: Junonius ales
Talia non varia pandit ſpectacula cauda,
Nec tot in imbrifera pinguntur nube colores.
Sleſwijk. Gottorp. Hinc languens recta Sleſvici ad mœnia tendo;
Archaicos ægro ſternit Gottorpia lectos.
Bis ſenas luces me detinuere volentem
Illic antiquâ ſignata volumina dextrâ,
Et longis ſplendens cellis pretioſa ſupellex,
Barbaraque emenſus Perſarum Olearius arva,
Atque frequens mihi Cimbrorum cum principe ſermo.

Hinc

Hinc pene egreſſis, cari præcordia bilis
Invaſit ſocii; verum Haderſlevia crebro *Haderſleve.*
Sanatum vomitu vidit ſub lumina prima:
Balthica jamque ſuos oſtendunt æquora fluctus:
Provehimur pelago, & Cimbrorum linquimus oras.
Haud procul in tumido apparet Fionia ponto: *Fuynen.*
Pingue ſolum exupero, frigentique imbre madentem
Excepit mediis fundata Otthonia terris. *Odenſée.*
At dum clauſa tenet per noctem lumina ſomnus,
Subripuit noſtras gens inſidioſa lucernas:
Digredior triſtis pluvioque obnoxius Auſtro.
Niburgo potimur nocturni, ubi regia pellex *Niborg.*
Clauſa latet tenebris, & cæco carcere, poſtquam
Lurida regali contrivit toxica menſæ,
Dignior infami tetro pro crimine morte.
Eſt in conſpectu dives Zelandia contra *Zeeland.*
Inſula: nos illuc ventis & remige puppis
Acta vehens, vix ſubduxit venientibus Euris,
Alteraque ad ſcopulos pene eſt illiſa latentes
Pone ſequens: canas illic Meleagrides alas
Pandunt, inſuetumque canes dant gutture murmur.
Illic corporibus videas permiſta luporum
Robore ferali pendentia corpora furum,
Quam multa autumno pendent ex arbore mala.
Infixos trabibus ſubter mirabere cultros
Ægrorum manibus, quos olim ſtipite ſi qui
Incauti rapient, languentum corpore morbus
Cedet, ſi qua fides; rapientum in viſcera ſerpet.
Obvia currentes ſiſtit Roſchildia, condens *Roſchild.*
Marmoreis tumulis Danorum corpora regum.
Protinus excelſis ſpectabilis Hafnia muris *Coppenhagen.*
Surgentem oſtentat turrim ſuper æthera, cujus
Aërium poſſit currus ſuperare cacumen,

Accli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Acclivi aſcenſu, non ſtructis ordine ſcalis.
Admiſſis ferimur bigis, curruque citato,
Atque in regifica laſſi conſedimus urbe.
Poſtquam membra quies recreavit, proxima Regem
Viſere cura fuit; ſpatioſa ſiſtor in aula;
Utque parum viſu valeo, ſpecularia promo,
Et Regem vitreis proſpectans orbibus utor.
Haud tulit hanc ſpeciem Princeps, mihi jamque parabat
Vincula bile tumens; fugio, portuſque relinquo.
Ween. Fluctibus in mediis anguſta occurrit Huena,
Aſtris ſacra olim, & cæleſtibus inclyta curis;
Nunc piſces tantum ſolers captare marinos.
Huc feror, & viridi ſuperato colle, Tychonis
Dilapſas ædes veneror, pretioſaque fletu
Rudera conſpergo, & rurſum do carbaſa ventis.
In medio exoritur tempeſtas turbida curſu:
Horremus pavidi; vixque uvida membra quieto
Helſeneur. Excipiens tandem fovet Helſenuria portu.
Æquoreo me ſubductum fortuna periclo
Pene alio merſit, nam dum munimina ſpectans
Cronenburgi obeo foſſam prope labor in imam.
Quam varii impendent peregrinis undique caſus!
Tranquillam in patria potuit qui ducere vitam,
Liquerit hic dulces, nunquam me auctore penates.
Deſtr. de ſond. Inde ſinum vento fruſtra luctante Codanum
Trajicimus: nobis apponit ſedulus hoſpes
Salgama ſparſa croco: Gothico hæc ſapit eſca palato.
Tum zytho, atque ovis incoctas oggerit offas,
Et vino, atque uvis, ſiccat quas clara Corinthus,
Et cruſtis pilo tunſis, & olentibus herbis.
Incretum his piper acre, & odorum caryophyllum,

Et

Et coriandra ſimul, tum zinziber, atque ſinapi,
Sacchar, mella, oleum, marathrum, flavumque butyrum.
Non alios Hecaten atris ſub ſedibus Orci
Crediderim libaſſe dapes; triſtiſque noverca
Non alios miſcet privigni in funera ſuccos.
Ergo venenatas impranſi liquimus eſcas.
Nocturni ire viam perreximus atque diurni:
Pulvereos ſolvit valida Helmæſtadia currus. *Helmſtad.*
Inde referre pedem, patriaſque reviſere terras
Cogitur, & flentes ultro amplexatus amicos
Voſſius abſcedit; ſic litera miſſa jubebat.
Ingredimur crebra nigrantes abiete ſilvas,
Viſigothis notas ſedes: ſitientibus illi
Hydromeli apponunt, & piſtam rite farinam
Exiguo ſale contingunt parcoque cumino;
Appenſam fumi durant, ac lumina Solis.
Hanc fruſtra impacto tentaris cædere cultro,
Viribus at demum tuditem ſuper incude totis.
Scanduntur celſæ rupes, Smalandica terra,
Vetterique lacus ſinuoſum litus obimus. *Lac Vetter.*
Dat nobis illic ſervus riſuſque jocoſque,
Dum ſummo curru ſtans, nocturnoque galero
Tectus, Davidicos attentus concinit Hymnos
Arguti numeris conſtrictos arte Maroti;
Claudini & rauco corrumpit gutture cantus.
Mox datur Oſtrogothum ſcabros attingere fines;
Aſpera gens victu, pelles induta ferinas;
Membra ſitu livent, & aduſti frigore vultus:
Præcingunt matrum villoſæ tempora mitræ.
Vectores illic ſuccuſſant ſtridula plauſtra,
Dant requiem longis conſtructa mapalia truncis;
Conſtratum viridi floreſcit ceſpite culmen,
Quo paſtum teneræ ſcandunt de more bidentes.
Deſuper admittunt anguſta foramina lucem:
Haud ſecus ac Romæ tenuit quas Terminus ædes.

Quin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Quinquaginta intus lecti, queis ſternitur hoſpes,
Et pater & conjux, poſitique in ſtramine vernæ.
Hinc lotî egreſſus cauſa, ſub nocte ſilenti,
Regredior, primumque ratus ſubiiſſe cubile,
Quo ſocius molli laxabat membra quiete;
Altum proflanti vetulæ de pectore ſomnum
Inſcius accubui, laterique jacentis adhæſi.
O quales movit veniens Aurora cachinnos!
Dant gratam ingentes pinus abeuntibus umbram.
Linkoping. Tum nos Lincopiæ nox opprimit; O laus illinc
Et Magnus Magno eſt ortus cum fratre Johannes.
Norkoping. Norcopiam tendunt currus; hic ærea lamna
Cuditur, hic grandem ſignant ex ære monetam,
Longaque deductum tenuant in fila orichalcum.
Illa merce premens externus navita puppes
In patrias quæſita refert compendia terras.
Nikoping. Proxima Nicopiæ ſtatio, gratiſſima ſedes
Matris Reginæ, poſtquam eſt orbata marito,
Carpitur atque illic triſti Leonora ſenectâ.
Tellier. Hinc fit per ſcopulos gradientibus obvia Telga
Urbs præclara olim, piceis nunc ignibus hauſta
Rangifer hic ſtabulis borealis clauſa tenetur
Beſtia: multiplici ſublimia tempora cornu
Vallantur; ſimilis vivaci cætera cervo.
Concretis glacie lacubus, campiſque nivoſis
Illa trahas rapit, & volucres prævertitur Euros.
Pruteno huc quidam veniens de littore, vino
Invitos torſit, crebris urſitque culullis;
Me pene incautum vicit vis ſubdola Bacchi.
Stockholm. Impoſuit longis erroribus Holmia finem.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 D 21 [1]